Aſsiſtent. Germaniæ, S. J.

VINDICIÆ ECCLESIASTICÆ

QVIBVS EDITA A PRINCIPE BETHLEN IN CLERVM HVNgariæ Decreta, Diuinis humaniſq; legibus contraria, ipſo jure nulla eſſe, demonſtrantur.

AVTHORE

PETRO PAZMANY Archiepiſcopo Strigonienſe.

BIBL. DOM. PROF. ROM. IHS

Pſalm: 108. V. 28.

Domine, maledicent illi & tu benedices, qui inſurgunt in me, confundentur, ſervus autem tuus lætabitur. Induantur qui detrahunt mihi pudore.

VIENNÆ AVSTRIÆ

Ex Officina Typographica Wolfgangi Schump. Typographi Aulici Anno 1620.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Google

INDICVLVS CAPITVM.

Cap. I. *Conſilij mei rationes in hac ſcriptione.*

Cap. II. *Quæ Iura Eccleſiarum everſa Betlenij Sanctione.*

Cap. III. *Defectu competentis Iudicis ac Legislatoris, Statuti Betleniani nullitas evincitur.*

Cap. IV. *Defectu legitimi proceſſus, Conſtitutionis Betlenianæ vanitas comprobatur.*

Cap. V. *Defectu Iuſtitiæ, Sententia Betleniana eliditur.*

Cap. VI. *Ob falſas & inſufficientes allegationes, Decreta Betleniana exploduntur.*

Digitized by Google

FERDINANDO II. ROMANORVM IMPERATORI AVGVSTO, GERMANIAE, HVNGARIAE, BOHEMIAE &c. Regi &c.

VITA, VICTORIA, FOELICITAS.

NIHIL SVBLIMI FAſtigio, ac ſtatione, quam temperas, dignius agitare potes Auguſte Imperator, quàm, ſi labantem, funeſtiſq́; domeſticarum calamitatum turbinibus rotatam Rempublicam Chriſtianam, rebellionum monſtris purgatam, in optatiſſimæ quietis portum, velut poſtliminio repoſueris; ſi conceſſis à Deo optimo victoriarum adoreis, ad ejus gloriam amplificandam, vtendum exiſtimaveris. In vtrumq; hunc ſcopum, nauiter curas, cogitationesq́; Majeſtatis Veſtræ defixas eſſe, notius eſt, quàm vt quæſitis à me firmamentis approbari debeat. Quis enim neſciat, in hiſce obvia cuncta obterentium ſeditionum procellis, Majeſtatem Veſtram, ad publicæ quietis aſylum, tanquam ad Cynoſuram, cunctas actiones aſſiduè direxiſſe? Dei verò præpotentis Religioſum cultum, velut

Digitized by Google

vnicum Regnorum tuorum Palladium, tanto ſemper ſtudio promoviſti, vt illo ſervato, etiam inter duros præcipitis fortunæ ictus, tuta omnia, ac ſecura eſſe, illo neglecto, maturos etiam Victoriarum fructus corrumpi, ac victricis fortunæ impetum inhiberi, nullus dubitares.

Extra dubium eſt, publicam quietem ſarciri haud poſſe, niſi luxata, ac ſuis mota locis membra reponantur, hoc eſt, bonis ac laribus, nec non famæ & honoribus per vim expuncti, reſtituantur; virtuti pretium reddatur; Fidelitatis & Conſtantiæ hucusq; pro ludibrio habitis, ſuus honos conſtet; ademptâq; rapinarũ licentiâ qui vel cuniculis, vel machinis tranquillitatem, præſertim Vngariæ, oppugnatum eunt, ningidarum alpium clauſtris, vnde proruperant, coerceantur. Divino Numini debita veneratio, Cultusq; publicus requirit, vt res, ac perſonæ Sa r e, ab omni maleficio, & injuria aſſerantur. Hæc omnia Majeſtatem Veſtram ſummo ſtudio, ſumma animi moderatione procurare, neminẽ noſtrũ latet. Nam & errata delinquentium, paterno affectu caſtigata voluiſti, & in omnibus expeditionibus, non tanquam ad hoſtes debellandos, ſed tanquam legitimus Princeps, ad officium cogendos ſubditos, militem

litem deſtinaſti. vt Deo dicatæ ædes, Sacerq; Ordo ab omni injuria, fœminarum pudor à vi aſſerantur, vt innoxiæ plebis cædibus, ac oppreſſioni temperetur, ſedulo edixiſti. Cumq; pro Tua ſingulari ſapientia facile intelligeres, beneficio potius, quàm metu animos alienatos in obſequio retineri, & populos ſuperiorũ temporum furore exerrantes, tractu temporis mitigatos, officio reſponſuros, ita clemẽtiâ ac benignitate imperiũ temperaſti, tãtamq; hominũ antea infeſtiſſimorũ de Te fiduciam concitaſti, vt plus in Majeſtatis Veſtræ clementia ſecuritatis, quàm in armis ſuis præſidij repoſitum arbitrarentur. Mactè virtute Imperator Auguſte, generoſum hunc impetum ſequere, hanc novæ laudis gloriam occupa, ſupplicibusq; indulgendo effice, vt eos, non emendati citius erroris pœniteat, ſeq; niſi periculosâ belli aleâ perijſſent, perituros, læti fateantur.

Cum igitur hæ quoq; quas pertexo Status Eccleſiaſtici Vindiciæ, ad publicæ quietis, ac Divini cultus rationes pertinere videantur, meritò Majeſtatem Veſtram, velut Agonothetam, imò Hyperaſpiſten agnoſcere debuerunt. Poſtquam enim violentis ſuggeſtionibus, ita obreptum eſt Gabrieli Betlen, vt totam

Eccleſiaſtici Ordinis dignitatem in Vngaria convellendam, fictisq́; criminibus obruendam ſibi ſumpſerit, talia in Sacrum Ordinem decreta fixit, vt vbi veritatem inter tanta partium odia demerſam, eluctari viderit, eorum pœnitudinem ipſimet ſubituram, non dubitem. Hæc ergo Betlenij Statuta, quantum rerum acerbitas patietur, leni oratione profligare debui. Quamobrem, cum non ignorem, in varias incurſurum reprehenſiones quod molior, præpotenti patrocinio adverſus malignorum obtrectationes opus erat: quæ ipſa cauſa eſt, cur hoc tempore adire M. V. inſcriptioneq́; exigui operis alloqui debuerim. Sed & acerrimo, perſpicaciſſimoq́; Majeſtatis Veſtræ judicio, cenſuræq́; limatiſſimæ, in examine eorum quæ à me dicentur, ſtare conſtitui.

Illud verò oportune hoc loco M. V. in memoriam revocandum venit, mirum non eſſe, ſi Calvini aſſeclæ, male de Sacerdotibus, male de Clero Catholico ſentiant, ac loquantur, quorum Dux & Anteſignanus, peſſimè de Patriarchis, deq́; Apoſtolis, de Diva Virgine, deq́; Deo ipſo ſenſerit, ſcripſeritue. Abrahamum. † Vxoris pudicitiam malè prodidiſſe, conjuge proſtituta; * illicito concubitu *fœdatum fuiſſe,*

† Calv. Geneſ. 12 v. 11. c. 20. v. 2.
* Calv. Geneſ. 16. v. 3.

fuiſſe, ſcribit Calvinus. Saram, à Petro Apoſtolo Chriſtianis fœminis velut exemplar propoſitam, Calvinus † connubij legem pervertiſſe, lectum conjugalem polluiſſe, *dicit.* * neq; enim credibile eſt, quum homo libidinoſus eam habuerit in manu, peperciſſe ejus pudicitiæ. *Iſaacum ſimiliter* † vxorem propriam, alienis proſtituiſſe, *pronunciat. Itaq; Calvino Iudice, lenones, ac libidinum pararij fuere Patriarchæ, proſtitutæ Patriarchiſſæ. Idem ipſe Calvinus, fidenter ſcribit, Ioannem Evangeliſtam* * ſtupore proſtratum, Angelis tribuiſſe, quæ non niſi Deo debebantur. *Paulum Apoſtolum,* † perverſæ confidentiæ, ac temeritati obnoxium, * violento contentionis impetu abreptum. *Marcum Evangeliſtam* † vocationis ſuæ deſertorē Apoſtatam fuiſſe. *Deiparam Virginem* * malignè reſtringere Dei potentiā. Nec laborandum, vt eam purgemus ab omni vitio. *Chriſtum Dominum* † Ignorantiæ ſubjectum fuiſſe, * Inter violentos tentationum fluctus vacillaſſe, votum ſubitò elapſum caſtigaſſe, revocaſſe. *Denium nequid ad ſummum præcipitis inſaniæ de-*

† Calvi. Geneſ. 16. v. 1.
* Calvi. Gen. 12. v. 15.
† Calvi. Gen. 20. v. 7.
* Calvi. Inſt. 1. ca. 14. n. 10.
† Calvi. 2. Corin. 1. v. 9.
* Calvi. Acto. 15. v. 38.
† Ibid. v. 40.
* Calvi. Luc. 1. v. 34.
† Calvi. Matt. 24. v. 36.
* Calvi. Matt. 26 v. 39.

ſide-

Calv. lib. 1. Inſtit. c. 18. nu. 1. 2. *ſideraretur*, Fœdarum cupiditatum, & eorum quę Satan, ac ſceleſti latrones perpetrant, Deum AVTHOREM eſſe, *libero ore pronunciat Calvinus.*

Qui ſanctos vtriusq; fœderis, qui Deiparam, Deumq; ipſum ſic proſcindit, ab ejus fœturâ famam exiſtimationemq; Cleri adrodi, nemo ſapiens admirabitur. Ego ſanè Tertullianæum illud Tertull. Apolog. cap. 5. *identidem animo verſare ſoleo.* Talibus damnatoribus noſtris, etiam gloriamur, qui enim ſcit vos, intelligere poteſt, non niſi grande aliquod bonum à vobis damnari. Cap. 48. Et vt eſt æmulatio Divinæ rei, & humanæ, cum à vobis damnamur, à Domino abſolvimur. *Et cum hoc omine finio, Deum religiosè venerans, vt Majeſtatem Veſtram diu feliciterq; imperantem tueatur in terris, ac ſerò tandem meritis ingentibus cumulatam cœlis inſerat.* Viennæ Auſtriæ 26. Decembris Anni 1620.

Sacratiſſimæ Majeſtatis Veſtræ.

Humilis ac fidelis Capellanus

Archiepiſcopus Strigonienſis.

Digitized by Google

VINDICIAE ECCLESIASTICÆ.

QVIBVS EDITA A PRINCIPE BETHLEN IN CLERVM Hungariæ Decreta, Divinis humaniſq; legibus contraria, ipſo Iure nulla eſſe, demonſtrantur.

CAPVT PRIMVM.

Conſilij mei Rationes in hac ſcriptione.

NOuizolienſia Betlenij Principis Decreta, quibus Sacrum Ordinem truculenta vaſtatione, ſi licet, deletum iuit, ſeriùs quàm par erat nactus, procul odio, procul amore, legi: paginas aliquot virulentiſſima proſcriptione infectas reperi, quæ ad Eccleſiaſtici Status famam, dignitatem, ac libertatem labefactandam, meritò caſtiganda coniuratione, conſpirabant. Nam in ijs, vniuerſus Eccleſiaſtici Ordinis Vngariæ Status ab imis conuellitur fundamentis: Epiſcopatus abrogantur: Iura Eccleſiarum violantur: tolluntur Priuilegia: bonorum poſſeſſio Sacerdotibus adimitur, Fiſco addicitur: denique quidquid vel dignitatum, vel facultatum, plena manu,

Digitized by Google

orthodoxorum Vetuſta pietas Eccleſię contulerat, totum rapax & profana Nouitas, per ſummam Diuini, Humanique Iuris contemptionem depeculata, in ſuum vertit compendium. Ac vt tanto conſpectius crimen foret, interſperſæ etiam cauſæ, merâ calumniâ aſperatæ, ob quas, vel bonorum poſſeſſione deturbati, vel Patria extorres facti ſunt Sacerdotes. Nimirum, quos fortunis exuerat aliena cupiditas, eos famæ quoque, ac exiſtimationis iacturam ſubituros. vaniſſimè arbitrabatur, quaſi ita hebes, ac obſtipa capitis cucurbita reperiri poſſit, vt vel Acatholicis Clerum accuſantibus, ac per fas, nefaſque bona Eccleſiarum decoquentibus, credendum, vel fidem coronato Regi debitam abdicantibus, fidendum, exiſtimare poſſit.

Aequidem diu anceps animi hæſi, reponeremne aliquid, vt ſuus veritati honos conſtaret? An, Dauidicum il-
Pſal. 38. v. 2. lud ſequerer, *Poſui ori meo cuſtodiam, cum conſiſteret peccator aduerſum me. Obmutui & humiliatus ſum, & ſilui à bonis.* Etſi enim obmuteſcere, & abſtinere ab iniurijs, conſtitutum erat, tamen, num & à bonis (ne illa ipſa in calumniam odiumque raperent obtrectatores) abſtinendum eſſet, magnopere dubitabam. Ea tempora incidiſſe videbam, quibus ſententiam aperuiſſe veritati conſentaneam, modeſtięq; ad finem, maximum ſit ſcelus. Sciebam conſcientiam virtuti, ſatis amplum theatrum eſſe, ſatis diſer-
Ambroſ. 1. Officiorum. cap. 5. tum patronum. Obuerſabatur & illud animo. *Iuſti eſſe diſſimulare, tenere bonum fructum conſcientiæ, plus committere bonorum judicio, quàm criminantis inſolentiæ. Hoc eſt ſilere à bonis, quia benè ſibi conſcius, falſis non debet moueri; nec æſtimare, plus ponderis in alieno eſſe conuicio, quàm in ſuo teſtimonio.* Quocirca mecum ipſe, tacitus ita cogitabam. Magni rerum mo-
Rom. 12. v. 19. deratoris vox illa eſt, *Mihi vindictam & ego retribuam.* Habes Deum vltorem, cuius gladius retundi, cuius ictus elidi
Pſal. 39. v. 16. nequit; *Ferent* illo vindice *confuſionem ſuam, qui dicunt tibi*

Euge Euge. Obdura: Magno perfer animo falſitatum virulenta rabie infectas calumnias. *Faciet Deus Iudicium iniuriam patienti; Humiliabit calumniatorem*. Magni viri, ſæpe non alio defenſore ac patrono, quàm conſtanti ſilentio, dignitatem ſuam, ab obtrectatorum maledictis vindicarunt. Oportuno interdum, grauique ſilentio, rumpuntur inuidi: multo autem verborum apparatu, anſa maleuolis præbetur, nouæ reprehenſionis, ac demum acrioris obtrectationis: ſic iniuria ex iniuria nectitur, ſic magis exulcerantur animi quos taciturnitas, temporiſque diuturnitas ſanauiſſet. *Laqueos fera dum iactat, adſtringit. Aues viſcum dum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt. Nullum eſt tam arctum iugum quod non minus lædat ducentem, quàm repugnantem. Vnum eſt leuamentum malorum ingentium, pati, & neceſſitati obſequi.* Nobile vincendi genus eſt, patientia: nec vllo validiore ictu inuidorum maleuolentia percellitur, quàm æquanimitate. *Idcirco quis te lædit vt doleas: quia fructus lædentis in dolore læſi eſt. Ergo cum fructum eius euerteris, non dolendo, ipſe doleat neceſſe eſt amiſſione fructus ſui. Tunc non ſolùm illæſus ibis quod ſolùm tibi ſufficeret, ſed inſuper aduerſarij tui, & fruſtratione oblectatus, & dolore defenſus.* Socrates, tunc ſe in pretio apud homines eſſe cenſuit, cum alienam ſubijt inuidiam. Seneca virtutem latere dixit niſi accipiat iniuriam, tunc effulgere, cum læditur. Quid? Nonne ſalutis noſtræ aſſertor ac vindex CHRISTUS, & * *ſubuerſor* gentis Iudaicæ, & *populum commouens*, & *meribibulus*, & † *Seductor*, & * *Samaritanus*, hoc eſt idololatra & infami Dœmonum commercio notatus audiuit? Nonne tot falſorum teſtium criminationibus adobrutus, tot blaſphemijs ac maledictis in ipſo mortis articulo preſſus, *quaſi Agnus coram ſe tondente obmutuit?* Ea lego Chriſtianam militiam adijmus, vt tunc beati exiſtimemur *cùm maledixerint nobis homines, & perſecuti nos fuerint, & dixerint*

Pſal. 145 v. 7.
Pſal. 71. v. 4.
Seneca lib. 3. de Ira.
Tertull. lib. de Patientia.
Seneca Epiſt. 79.
* Lucæ 23. v. 2.
Ibid. v. 5.
* Matt. 11. v. 19.
* Matth. 27. v. 63.
Ioan. 8. v. 48.
Iſai. 53. v. 7.
Matt. 5. v. 11.

Digitized by Google

rint omne malum aduerſus nos, mentientes. An non hæc via trita magnis illis Chriſtianitatis Anteſignanis? Quoties velut conturbatores ciuitatum, velut vrbium concitatores, non à confuſa multitudine, ſed quod mirere, *à Religioſis & honeſtis & primoribus ciuitatum*, concuſſi, exturbati, penè ad internecionem cæſi? *Et ibant ipſi gaudentes, quoniam digni habiti ſunt, pro nomine IESV contumeliam pati.*

Actor. 16 v. 20. Actor. 17. v. 6. Actor. 13 v. 48. Actor. 5. v. 41.

Hæc animo verſanti, immanes conuiciationum, ac proſcriptionum Nouizolienſium mugitus, ac bruta fulmina, ſurda aure prætereuehi, ac ſilentio caſtigari debere, non immeritò videbantur: præſertim cum, vbi *pellitur è medio ſapientia vi geritur res*, ſtylo ac ſolida veritate nihil profici, nimium imperitus ſim, ſi non intelligam. Nec verò magnum operæ pretium videbatur, ſi in eo conuellendo, neruos Orationis intenderem, quod Magni Imperatoris, ac Coronati Regis Vngariæ, potenti dextera excaudicatum, ſtirpituſque conuulſum & protritum erat, dum acta omnia, tractata, & concluſa in Poſonienſi ac Nouizolienſi conuenticulo, Regali edicto caſſauit. Nominatim verò, *quidquid contra Eccleſias Dei ac Statum Eccleſiaſticum, contra fideles ſuæ Majeſtatis tàm Eccleſiaſticos quàm Sæculares, quoquomodo ſtatutum, decretum, ac definitum fuit, id totum penitus annullauit, illegitimum, iniuſtum, inualidum pronunciauit, nec vllo vnquam tempore robur aliquod habere voluit.*

Auguſtinus Tom. 4. libro de bono viduitatis, c. 22.

Verùm enimuerò, aurem mihi vellicat magnus Antiſtes Hipponenſis. *Non ſunt*, inquiens, *audiendi, ſiue ſancti viri, ſiue fœminæ, qui quando reprehenduntur, & in malam veniunt ſuſpicionem, vnde vitam ſuam longè abeſſe ſciunt, dicunt. Coram Deo ſufficere ſibi conſcientiam. Æſtimationem hominum, non ſolùm imprudenter, verùm etiam crudeliter contemnentes.* Concludit ſanctus Doctor. *Proinde, quiſquis à criminibus*

Digitized by Google

minibus flagitiorum atq; facinorum vitam ſuam cuſtodit, ſibi benè facit. quiſquis autem etiam famam, is & in alios eſt miſericors. Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, alijs fama noſtra. Hinc factum, quòd veteres illi, Chriſtianæ Religionis athletæ fortiſſimi, Iuſtinus, Melito, Athenagoras, Theophilus, Tertullianus, Minutius Felix, Origenes, Arnobius, alijq; deinceps propemodum innumeri, calumniantium proteruiam, eruditis repreſſerint Apologijs. Magnus ille gentium Doctor, & Apoſtolus, dum contra leges plecteretur, apertè ac liberè Iudicem alloquitur. *Percutiet te Deus paries dealbate. Sedes iudicans me ſecundum legem, & contra legem iubes me percuti.* Alibi non ſolùm disertè ac conſtanter ſe defendit, ſed & cùm Iudicis iniquitate innocentiam ſuam periclitari animaduerteret, Cæſarem appellauit. Quid de Chriſto Seruatore dicam? Cùm per ſummam dicendi libertatem, Dæmonium habere diceretur, nonne palam ac conſtanter depulit calumniam? Ad tribunal Pontificis, dum innoxius cæderetur, nonne percuſſoris execrandam impietatem iuſta caſtigatione flagellauit? Amplector illud Senecæ, ac modis omnibus ſequor. *Vir ſapiens, omnem temporum difficultatem ſtrenuè ſuperabit. Habebit in animo vetus illud præceptum* SEQVERE DEVM. *Quiſquis enim queritur, & plorat, & gemit, imperata facere vi cogitur, & inuitus rapitur ad iuſſa nihilominus. Quæ autem dementia eſt, potius trahi, quàm ſequi? Quidquid ex vniuerſi conſtitutione patiendum eſt, magno animo excipiatur. Ad hoc ſacramentum adacti ſumus, ferre mortalia, nec perturbari his, quæ vitare noſtræ poteſtatis non eſt.* Attamen, Naturæ ius, ac gentium leges, Iuſtam ſui defenſionem, nemini interdicunt: vim illatam retundere, nocere volentem repellere, famam exiſtimationemque tueri ac vindicare, non ſinunt modò, ſed ſuadent, imò iubent. *Contemptu famæ, virtutes contemni*, vulgatum eſt, & verum. Accuſantium crimi-

Actor. 23 v. 3.

Actor. 25 v. 11.

Ioan. 8. v. 49.

Ioan. 18. v. 23.

Seneca de vita beata

Tacitus 4 Annal.

Digitized by Google

nationibus, ſilentio conniuere, culpam agnouiſſe, reum ſemet conſtituiſſe, cenſeri ſolet.

Hæc atque alia quàm plurima, in eam duxere ſententiam, vt nec officio, nec conſcientiæ ſatisfactum à me arbitrarer, niſi oppreſſam & criminationum pondere fatiſcentem, Cleri innocentiam, grauiſſimis, iuſtiſſimiſque rationibus vindicarem, Statutique Nouizolienſis circum quæſtus & officinas expoſiti, calumnias, ſolida & libera oratione abominarer, ac reprimerem.

Quod dum facio, nolim Status ac Ordines vniuerſos Vngariæ, inuidia Decreti Nouizolienſis laborare. Nec ea quæ à me ſcribentur, ita accipienda, vt iniquiſſimi Statuti infamiam, tota ferat Natio Vngarica. Etſi enim Betlen, Statuum Regni Hungariæ nomen, velut mangonium ſuis appendat ſanctionibus, nemo tamen eſt qui neſciat, Eccleſiaſtici Status indignam ſtragem, maiore & ſaniore Regni parte deteſtante, per Betlen, ac inmaturos ipſius paraſitaſtros, exortæ rebellionis authores, ſancitam eſſe. Nemo Catholicorum, euerſionem ordinis Eccleſiaſtici approbauit. Imò cum videant, ita ſecum agi, ac ſi Lupina feritas, vigiles canum cuſtodias ab Ouiarijs ſubmoueret, iam nunc animo præſagiunt, remotis Sacerdotibus, ſenſim Catholicam Religionem peſſum ituram, charamque poſteritatem ſuam, (cuius ſalutem, non minus quàm propriã, curare, Diuina ac naturæ lege) debet cum certiſſimo ſalutis æternæ diſpendio, per deuia erroris nouitij præcipitia, raptandam. Ideoque, & palam gemunt, & tacitè ſuſpirant, & auitam Religionis Catholicæ libertatem reſtitutam, votis omnibus expetunt. Vetus, ac verum verbum eſt. *Qui bona fide Deum colit, amat Sacerdotes.* Norunt & illud Catholici, Bona Eccleſiaſtica adimi, Sacerdotum immunitatem violari, ſine Sacrilegio, ac Excommunicationis lethali vulnere, haud poſſe.

Nec

Nec reatum tanti ſceleris relaxari, niſi facta damnorum omnium refuſione; atque ideò, qui reipſa, non nominetenus eſt Catholicus, Statuta Betlenij ſuo aſſenſu firmare, haud potuit. Permulti etiam à noſtra Religione alieni, hoc eſt omnes maturi, graues, ac prudentiæ obtutum longius protendentes, tam barbara ac inhumana, tam aculeata, ac œſtrum furoremque iuuenilem ſpirantia Decreta, palam auerſantur, euerſaſque totas Vngariæ leges, ac libertates, liberè conqueruntur.

Quod ſi liberius aliquid pro veritate dixiſſe videbor, veniam haud grauate dabit Princeps Betlen, ſi animo recoluerit, quid prius in nos dixerit ipſe feceritue. Ego ſapientiæ æternæ decretum illud, Sacerdotali libertate ſequor, *Pro anima tua ne confundaris dicere verum.* Eccl. 4. v. 24.

Caput II.

Quæ Iura Eccleſiarum euerſa Betlenij ſanctione?

EX quo Catholicæ Religionis fundamenta apud Hungaros iacta, hoc eſt, ab eo ipſo tempore, quo gens noſtra, Scytica feritate depoſita, Reges ac Leges habere cœpit, ſummo ſtudio actum eſt, vt & ſacroſancta Religio Catholica inuiolata conſeruaretur, & ordo Sacerdotalis ampliſſimis libertatum ornamentis effloreſceret. Ita enim omnes exiſtimarunt, tamdiu felices fore Reges, quamdiu in Deum pij, in Eccleſiam & Eccleſiæ miniſtros, deceſſorum ſuorum exemplis, munes eſſent.

Proto-Rex noſter Sanctus Stephanus, quanto Catholicæ Religionis conſeruandæ ſtudio æſtuaret, produnt

aurea

Digitized by Google

S. Steph. lib. 1. Decretor. cap. 1.

aurea quibus filium alloquitur hortamenta. *Præcipio* inquit, *conſulo, ſuadeo, fili chariſſime, ſi Regalem cupis honeſtare Coronam, vt fidem Catholicam, & Apoſtolicam, diligenti cuſtodia conſerues. Qui enim falsè credunt, vel fidem bonis non implent operibus, nec hic honeſtè regnant, nec in æterno Regno participant.* Et adijcit æternum valitura lege, *Ad Regalis dignitatis ordinem, non oportet niſi fideles, & Catholica fide imbutos, accedere.* Nec ſolum legibus Hungariæ generatim ſancitum, *vniuerſos damnatæ hæreſi adhærentes,* criminis læſæ Diuinæ Majeſtatis reos, & *Infidelitatis nota* maculatos eſſe; Verum, ad ſolam Lutherani nominis famam, adeò zelus Catholiciſſimæ gentis exarſit, vt ſæpius repetitis Regni Decretis, velut certiſſimam patriæ peſtem ac perniciem, longiſſimè arcendam, concordi omnium ſuffragio decernerent. *Anno 1523. Articulo 4.* lege lata, hunc in modum ſtatuitur. *Omnes Lutheranos, & illorum fautores, ac factioni ipſi adhærentes, tanquam publicos Hæreticos, hoſteſq; ſacratiſſimæ Virginis Mariæ, pœna capitis, & ablatione omnium bonorum, Maieſtas Regia, velut Catholicus Princeps punire dignetur.* Anno verò 1525. Art. 4. ita rurſus. *Lutherani omnes de Regno extirpentur, & vbicunq; reperti fuerint, non ſolùm per Eccleſiaſticos, verùm etiam per ſæculares perſonas liberè capiantur & comburantur.* Lues interim Sacramentaria emerſit, contra quam. *Anno 1548.* lex vndecima hunc in modum lata. *Anabaptiſtas, & Sacramentarios procul expellendos eſſe de omnium bonis, nec amplius illos, aut quenquam illorum, intra Regni fines eſſe recipiendos.* Eiuſdem Anni lege ſexta, *Hæreſes vbique tollendæ, & Religio ad priſtinam normam redigenda*, præſcribitur. Sed vbi contra tot legum munimenta, irrumperet nihilominus coluber tortuoſus, ac vt cancer ſerperet nouitiorum dogmatum colluuies, rurſum, Anno 1553. lege 12. ſtabilitum fuit. *Enitendum eſſe modis omnibus, vt ſancta & Catholica fides, ac Religio, Deiq; cultus*

Tripart. parte 1. Titt. 14. Matth. 1. Dec. 1. Artic. 2. Vladiſ. Decr. 2. Art. 4.

De Anabapt. vide Ann. 1556. Art. 26.

iuxta

Digitized by Google

iuxta veterem Sanctorum Patrum doctrinam, longo tempore, per vniuerſum orbem Chriſtianum recepta, & approbata, vbique in Regno reſtituatur. Euulſiſq; vndiq; hæreſibus, & impijs doctrinis, ſanctæ Romanæ & Catholicæ Eccleſiæ, quæ vnica eſt, ſibi perpetuò conſtans, errare non poteſt, omnes ex omnibus Ordinibus & Statibus Regni, perpetuo adhæreant. Denique ne ſingula recenſendo, tædium pariam, *Anni 1552. Artic. 7. Anni 1553. Art. 7. Anni 1554. Art. 7. Anni 1563. Art. 32.* prædictæ Conſtitutiones omnes renouantur, ac rurſum ſtabiliuntur.

Et licet Catholicorum lenitate factum ſit, vt legum præſidio, ſegnius quàm par erat, gliſcenti errori occurreretur, nulla tamen legibus noſtris libertas nouitijs dogmatibus permiſſa, ante annum 1606. Tunc demum, 23. Iunij, ad redimendam importuniſſimæ rebellionis vexationem, Turcicaq; ac Bochkaiana arma auertenda, Viennenſi tractatione, extorta fuit, contradicente Statu Eccleſiaſtico, omnium libertas Religionum, maximo Politizantium Catholicorum errore, quos experientia ſerò docuit, nunquam Religionis præiudicio, publicam Regnorum ſecuritatem redimi, ſed nouis ac grauioribus reuolutionibus viam ſterni. Iuſto Dei præpotentis Iudicio eos verberante, qui ſuam quietem, Religionis detrimento mercari volunt. Verùm ea ipſa conceſſione, reſeruatum fuit, vt *abſque præiudicio Romanæ Religionis* libertatem vſurpent Nouatores, & *vt Clerus ac Templa Catholicorum, intacta maneant.* Præterea, facta de Titularibus Epiſcopis inſolita reſtrictione, non ſolùm vt cæteri in ſuo gradu perſiſtant, verùm etiam, vt *Præpoſituræ & Abbatiæ, maneant in ſuo Statu, & fundatione, ſancitum.* Atque vt maior foret, huius Statuti firmitas, Regnum Bohemiæ, Morauia, Sileſia, Auſtria ſuperior, & Inferior, authenticis Diplomatibus, partim 25. partim 26. Septembris, eodem anno 1606. datis, vades ſe, ac fidejuſſores obſeruationis Statuti Vien-

Artic. 1. Vienn. Ibidem. Art. 6. Originales literæ apud Palatinum aſſeruantur, nu. 4. 5. 6. 7.

Digitized by Google

nenſis conſtituerunt. Viciſſim Vngari, tàm qui in fide Imperatoris Rudolphi perſtiterant, quàm qui Bochkaio adhæſerant, totius Vngaricæ gentis nomine, 23. Septembris, ſtrictiſſimis reuerſalibus ſeſe obſtrinxerunt, quòd Capitulationes Viennenſes, tàm ipſi, quàm Succeſſores ipſorum, inuiolabiliter obſeruabunt. Neque his tot cautelis contenti, Anno 1608. cum Archiducatu Auſtriæ Poſonij prima die Februarij, cum Morauis autem Aeuanſitij decima nona Aprilis, arctiſſimam iniere confœderationem Vngari, quâ id vnicum cauebatur, vt memoratas Viennenſes capitulationes, omni ope defenderent. Denique, Vngariæ Reges, qui poſt Viennenſia Statuta, legitimâ viâ ac ratione Coronâ inſigniti fuerunt, dum inaugurarentur, ad eadem Viennenſia pacta obſeruanda, peculiari reſcripto ſemet obſtrinxerunt.

Iam verò Eccleſiaſtici Ordinis ornamenta, Iura, Priuilegia, legibus noſtris comprehenſa, longiſſimique temporis vſu ac præſcriptione roborata, vix breui oratione, percenſeri poſſunt. Delibabo ſumma capita, vt conſtet orbi vniuerſo, quantum à patrita maiorum pietate degener poſteritas abierit.

Tripart. part. 1. Titt. 2.

* Idem habetur parte 1. Titt. Nono fin. Parte 2. Titt. 11. fin.

✠ Decreti And. 2. 2. præambulo.

* lib. 1. Decret. cap. 3. 4.

Principio igitur, de perſonis Eccleſiaſticis, ita leges loquuntur; *Quamuis perſonæ ſpirituales, perſonis ſæcularibus digniores habentur, tamen omnes Domini Prælati, ac Eccleſiarum Rectores, ac Barones, & cæteri Magnates atque Nobiles Regni, ratione Nobilitatis, & bonorum temporalium.* * *Vna, eademq́ libertatis, exemptionis, & immunitatis prærogatiua gaudent.* Et ſanè, ProtoRex noſter, Sanctus Stephanus ✠ *à quo libertas tàm Nobilium, quàm aliorum, inſtituta*, Ordinem Pontificum, Principibus, Baronibus, Comitibuſque præire * diſertè ſancit; ac non interruptus longiſſimi temporis vſus, in literis Regijs, ſeſſione, ſuffragijs, digniorem ſemper Eccleſiaſticis locum præbuit, vnico Regiæ Electionis caſu ſepo-

ſu ſepoſito, in quo † ſi Palatinus tunc fuerit, ipſius ſuffragium præcedere, ſingulari ſtatuto cauetur.

Illud quoque ad Eccleſiaſtici Ordinis dignitatem ſpectat, quòd * Primas Regni, Summus & Secretus Cancellarius, ac Regiæ Majeſtatis Perſonalis præſentia, ſit Archiepiſcopus Strigonieſis, qui † & duos Iudices in Sanctiori Senatu Iudicantium, habere ſolet, & ſi ipſemet (* qui vnus eſt ex Iudicibus Regni ordinarijs) non interſit Iudicijs, † *Locum tenens, qui ſigillum Iudiciale Regiæ Maieſtatis tenet*, quique hodie Perſonalis vocari conſueuit, eius abſentiam ſupplet.

Prærogatiuam dignitatis Eccleſiaſticæ, & illa continent, * quòd in actionibus perſonalibus, à ſæculari Iudice conueniri non poſſunt, ſed Iudices Clericorum, Archiepiſcopi ſunt, vel Epiſcopi: † quòd ſi Clerici teſtimonia dicentes, ad puritatem conſcientiæ aliquid affirment, iuramenti inſtar habeatur. * Archiepiſcopus verò Strigonienſis, ne id quidem in propria perſona, ſed per Officiales, præſtare tenetur. Denique † quòd, vt ſtatuta Regni vim legis obtineant, Prælatorum aſſenſus concurrat, oportet.

Finem non facerem, ſi longo ordine percenſere vellem ſingula, quæ leges Hungariæ de officio ac Iuriſdictione Prælatorum, de cauſis Eccleſiaſtici Tribunalis, de Eccleſiarum ac Monaſteriorum viſitationibus, deque ſimilibus alijs rebus præſcribunt. Quibus omnibus omiſſis, ea breuiter annotabo, quæ de bonis Eccleſiaſticis, ſapientiſſimè ſunt noſtris legibus conſtituta.

Multiplici lege lata ſancitum eſt, licere cuique dotare Eccleſias, ac bona fortunaſque ſuas illis elargiri, *S. Stephani Decreto. 2. cap. 5. S. Ladiſlai Decret. 1. cap. 5. & 23.* Atque ideò (vt Ferdinandus primus, Decreto *Anni 1560.* ſapienter dixit) *non ſoli Reges Vngariæ, ſed & alij pij & deuoti erga*

† Anni 1485. Artic. 1.
* Anni 1536. Artic. 15.
† Anni 1557. Art. 13.
* Anni 1536. Art. 15.
† Matth. I. Decret. 6. Artic. 68. Vladiſ. Decret. 1. Art. 42
* Decret. Colom. lib. 1. cap. 5. 6. 14.
† Tripart. par. 2. Titt. 40. & An. 1537. Art. 5.
* Anni 1550. Art. 64.
† Tripart. parte 2. Tit. 3. 4.

Digitized by Google

Deum Religionemq; Chriſtianam, bonis & Iuribus poſſeſſionarijs dotarunt Eccleſias. Hæc autem largitas, ita facta, vt † *Bona Eccleſiis in perpetuas Eleemoſynas ſint collata*, Ideoque vetitum. * *Ne is qui res ſuas, aut prædia Eccleſiæ dedit, vllâ interueniente cauſa, ea ſubtrahere audeat*, ſed neque Rex noſter poteſt *ab Eccleſia auferre bona, vel ſequeſtrare; Nam* † *Dotes cujuslibet poſſeſſionis Eccleſiis diſpoſitæ, inconuulſæ remanere debent, nec* * *Bona Eccleſiæ, amitti poſſunt.* Quocirca Eccleſiaſticis † *in præiudicium ſuorum ſucceſſorum, nemini quicquam de bonis & Iuribus Eccleſiæ concedere licet*; & * ſi Clericus crimen admiſerit, ob quod ſæcularia bona, Fiſco addici conſueuerunt, ipſe quidem degradatus in perſona punitur, bona tamen Eccleſiaſtica, amittere haud poteſt. Hæc cauſa fuit, cur maiores noſtri ſanciuerint, † *vt Regia Majeſtas Eccleſias quæ in manibus Laicorum habentur, liberet, & ne aliquam earum cuipiam in futurum Inſcribat*, ac ſæpius repetitis Decretis cauerint, * *Ne ſæculares Bona Eccleſiarum vllo pacto pro ſe vſurpent.* Deinde FERDINANDVS primus, pragmatica ſanctione *Anno 1560.* declarauit, *Teneri Reges Vngariæ, modis omnibus procurare, ne Bona Eccleſiaſtica ſemel Deo & eius cultui conſecrata, in vſus profanos conuertantur:* Concludit. *Vniuerſa bona Eccleſiaſtica, quocunque nomine, cuicunque ſæculari collata, & Donata, (quam donationem nullius roboris eſſe pronunciat) ſtatim & de facto occupentur, ac Eccleſiæ reſtituantur.* Sæpe alibi quoque Decretum, vt Eccleſiaſtica bona, Eccleſijs reſtituantur, *Decreto Huniadi Ann 1440. Art. 2. Fol. 127. Szilagi. An. 1458. Art. 1. Ferdinandi An. 1586. Art. 6.* &c.

Hæc tot & tanta Eccleſiaſticorum Priuilegia, vt eò ſanctiùs, illibata ſeruarentur, quò arctiùs ad earum cuſtodiam Regia Majeſtas ſtringebatur, conceptis verbis, ſolemni formula, Regia Majeſtas, dum inauguratur, iurat, *Quòd Eccleſias Dei, Dominos Prælatos, in ſuis Iuribus, Priuilegijs,*

✠ Tripart. par. 1. Tit. 84.
* S. Ladiſl. Dec. 1. c. 23.
Part. 1. Titt. 10.
✠ Colō. Dec. 1. cap. 1.
* Vlad. Dec. 7. Art. 27.
✠ Ann. 1559. Art. 21.
* 1. parte Titt. 44. 51. Vlad. Decret. 7. Art. 27.
✠ Ferd. An. 1537 Art. 19.
* Vlad. Dec. 3. Art. 55.
Maxim. 1567. Arti. 31.

uilegijs, ac Antiquis Bonis, & approbatis conſuetudinibus, conſeruabit. Regni quoque Palatinus, his ipſis verbis, publicum Iuriſiurandi Sacramentum concipit, *Volo omnes Status huius Regni Vngariæ, tàm Spirituales, quàm Sæculares, in eorum libertatibus & Iuribus, quatenus ad officium meum pertinet, tutari, protegere, & defendere.* Nec ſolum S. Stephanus *Decret. 2. cap. 4.* diligenter iubet, vt Vngari animas ſuas ponant, pro Sacerdotibus, ſed & crebris Regni Decretis iniungitur illibata Sacerdotalium priuilegiorum cuſtodia *Anno 1559. Art, 41.* &c. Fol.745. Decret.

Quid in hac, tam longa præſcriptionis ſerie roborata, tot ſæculorum vſu, tantis legum firmamentis, tàm arcto Regij ac Palatinalis iuramenti vinculo ſolidata Eccleſiaſtici Iuris firmitate, hirudines & vomicæ bonorum Eccleſiaſticorum? Id agunt, quod hucuſque actitauit, vbi vbi pedem fixit, ac præualuit, nuper nata nouorum dogmatum peſtilitas. Rapacitate inaudita, bona Eccleſiarum depeculantur, ruptiſque omnibus Diuinæ & humanæ Iuſtitiæ repagulis, per vim ac Iniuriam, bonorum poſſeſſione, & veteri dignitate, Eccleſiaſticos vniuerſos deturbant. Et vt nihil ad ſummam malignitatem deſit, quod nefariè perpetrarunt, iniquiſſimarum legum præſidio ſtabilire volentes, Statuta ſeu Decreta, ab omni, etiam vrbana ac Ciuili humanitate alieniſſima, prorſus iniqua, inualida, ipſo Iure nulla condunt, quibus rapina Eccleſiaſtica ſtabiliatur, hoc eſt, Metamorphoſi pluſquàm poeticâ, & Iudices, & Legislatores fiunt, legum omnium euerſores notorij.

Tria ſunt porrò quæ vnius, alteriuſue præcipitis adoleſcentuli conſilijs rotata Betlenij potentia, contra ordinem Eccleſiaſticum, iniquè ac impotenter ſtatuit.

Primúm eſt. *Tractatus Viennenſis, ac Articulorum Matthiæ ſecundi, vniuerſas ac ſingulas particulas, Statuum Cleri* Conditio e 1. à Betlen acceptata.

Digitized by Google

Romano-catholici, & bona eorum, item ordinem Ieſuitarum concernentes, penitus caſſat, abolet, annihilat; ſicut etiam paſſim in Generalibus conſtitutionibus Regni ſancitos Articulos. Vident oculatiſſimi vulturij, quòd ſi Ius & æquum retineatur, palam iniqua, ac legibus caſtigata ipſorum procacitas, ad Orcum vnde nata, retrudetur; ideoque leges antiquiſſimas, vno ſpongiæ ductu obliterant. Nempe vt fidem arbitrariam habent, ac id Sanctum eſt, quod ipſis adlubeſcit, ita leges nutu, ac palato ſuo metiuntur. En charitatem: En Iuſtitiæ legibus coercitam Euangelicam, ſi Deo placet, moderationem: vt libertates, vt Iura Regni, Euangelico-Lutheranis, aut Epiſtolico-Caluiniſtis, illæſa permaneant, magnopere requirunt; ne cæteris leges ſuffra-
Prouerb. 20. v. 10. gentur, impensè adlaborant. *Pondus & pondus, menſura, & menſura, vtrumq; abominabile eſt apud Deum.* Eodem pro te, & alijs pondere, eâdem menſurâ, ſi non vteris, Deo abominandus conſtitueris, dignus vt patiare legem, quam ipſe in alios tuleris.

Nouizolienſ. Art. 8. Alterum Statutum eſt. *Vt bona Eccleſiaſtica omnia, in vſus Regni publicos applicentur, ita vt quæ potiora fuerint, ſemper, pro peculio Coronæ retineantur, ſicut & Decimæ, ſiue in arenda, ſiue in ſpecie colligi conſuetæ. Reliqua verò omnia & vniuerſa Bona Eccleſiaſtica, quæcunq;, qualicunq;, & cuiuſcunq; generis fuerint, aut vbicunque intra ambitum Regni Vngariæ extite-*
Nouizol. Artic. 5. & 6. *rint, inſcribantur & Impignorentur.* Ad hæc Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Præpoſituras, Abbatias omnino abrogant, præter tres Epiſcopatus, Titulotenus conſeruatos, Agrienſem, Nitrienſem, Iaurienſem, ſingulis bis mille florenos ex Fiſco deputantes.

Conſtit. Nouizol. Art. 24. 25. 26. 27. Tertium Statutum eſt, vt nominatim ego Archiepiſcopus Strigonienſis, alijq; complures, niſi ante feſtum S. Michaelis Anni 1620. vnioni ſubſcribant, ac gratiam Betlenij exquirant, proſcripti ac exilio mulctati ſimus.

Hæc

Digitized by Google

Hæc ego Statuta dum legerem, facilè animaduerti, non tàm verbis, quàm re, & facto, exprobrari nobis, errorem noſtrum; & quæ à Catholicis pridem fieri oportuerant, non ſine tacitæ reprehenſionis acriore morſu, exemplo commonſtrari: quin & in futurum quid opus ſit facto edoceri. *Filia Babylonis miſera, beatus qui retribuet tibi, retributionẽ quã retribuiſti nobis.* Nec Euangelici ſuccenſere poterũt, ſi quis Euangeliũ ſecutus, *eâdẽ menſura, quâ menſi ſunt alijs, remetiatur illis*, ſi menſuram plenam, & confertam, & coagitatã, & ſuperfluentẽ, dederit in ſinum ipſorum. Sanè Propheticum illud, tàm Eccleſiaſticus ordo, quàm cæteri indigniſſimè tractati, audire ſibi videntur. *Nocentes peribunt qui te vexauerunt, & qui gratulati ſunt in tua ruina, punientur. Sicut enim gauiſi ſunt in tua ruina, & lætata eſt in caſu tuo, ſic contriſtabitur in ſua deſolatione. Et amputabitur exultatio multitudinis eius, & gaudium eius erit in luctum.*

Pſal. 136. v. 8.

Baruch 4. v. 31. 34.

Sed Deo iſta committo. Illud magnoperè notandum moneo. Et Viennenſis pacificationis Articulos, & Matthiæ II. Decreta & Conditiones regnandi modernæ Cæſareæ Regiæque Maieſtatis, quarum ſupra meminimus, in punctis, haud ſanè paucis aut minutis, Bonorum Eccleſiaſticorum ademptione, Epiſcopatuum euerſione, tot immerentium illegitima damnatione, conuelli ac prorſus violari. Ex quo illud conſequens eſt, & fideiuſſionem Prouinciarum antea recenſitam, penitus eliberatam; & confœderationem Poſonij ac Aeuanſicij initam omnino reſciſſam: & regnandi Conditiones quas memorauimus euerſas eſſe, eo quòd his omnibus repugnantia ſint Nouizolij conſtituta: qui autem pactis non ſtetit, fruſtrà ab alijs conuentorum conſtantiam requirere, notius eſt, quàm vt longiori probatione oſtendi debeat.

***

Digitized by Google

CAPVT III.

Defectu competentis Iudicis ac Legislatoris, Statuti Betleniani nullitas euincitur.

Trip. 2. parte. Titt. 3. Prolog. Tripart. §. De fin. legis.

P*Opulus Vngariæ, dum adhuc ritu viueret gentilium, condendæ legis, ac conſtitutionis, poteſtatem ipſe habuit. Verùm poſteaquam ad fidem Catholicam conuerſi, ſponte ſibi Regem elegerunt, tam legis condendæ, quàm collationis poſſeſſionariæ, atque omnis Iudiciariæ poteſtatis facultas, in Iuriſdictionem Sacræ Regni Coronæ, qua Reges coronari ſolent, & ſubſequenter Regem noſtrum legitimè conſtitutum, translata eſt.* Quanquam, ne ipſe quidem Rex coronatus, ac legitimè conſtitutus, ſuo nutu, conſtitutiones publicas, ſancire poteſt, ſed *populi conſenſus accedat oportet*, ac demum, quod & Regi & populo placuit, Statutum cenſetur. *Populi autem nomine hoc loco intellige, Dominos Prælatos, Barones, Magnates, ac Nobiles.*

Tripart. 2. part. Tit. 3. Ibid. Tit. 4.

Ex his legum Hungaricarum firmiſſimis fundamentis, conſtat, eum qui Corona Regni inſignitus non fuerit, nec Conſtitutiones condere, nec ſuprema Iudiciariæ poteſtatis facultate fungi poſſe: Nam hæc omnis poteſtas, *in Iuriſdictionem Sacræ Coronæ collata ſubſequenter Regi coronato attributa fuit.* Quocirca, * priuilegia & Statuta etiam legitimorum Regum, ante coronationem edita, firma non eſſe, leges noſtræ tradunt. Nec ſufficit, ſi quis Regio diademate quocunque modo redimitus fuerit, requiritur, *vt legitimè conſtitutus ſit in Regem.* Ea propter, etſi Stephanus

* 2. par. Tit. 14. in Matthia. 2. parte, Titt. 3.

phanus Quintus, *Iunior Rex Vngariæ, & Dux Tranſsyluaniæ,* dicerecur, eius tamen acta, ante Regni gubernacula iuſtè ſuſcepta, inualida declarantur. Denique ipſe quoque Rex Vngariæ, legitimè conſtitutus, ac ritè coronatus, Prælatorum voto non expetito, Statutum condere haud poteſt, vt ex Patrijs legibus audiuimus. 2. parti Tit. 14

Quæ cum ita ſint, facilè per ſe in oculos incurrit, Iudicis ac Legislatoris incompetentia, qui iniuſtè vſurpata poteſtate, Statum Eccleſiaſticum prægrauat. Nam tametſi Betlen vani decoris aura tranſuerſum actus, temeritate ſua quietem Vngariæ corrumpendo, tranquillitatem & alcedonia conturbarit, nihilque eſſe, quàm non Regnum vel Scenica oſtentatione deguſtare maluerit, ab hominibus otioſis, & præcepta de prudentia propria opinione credulis faſcinatus, Rex ludibrio creari voluerit: Conſtat tamen vniuerſis, ipſum, nec ſacra Regni Corona redimitum eſſe, nec Regium quem arrogat titulum legitimè vſurpare, nec denique ſolij Regalis capacem eſſe.

Primo quia legibus Vngaricis, ab ipſo Proto-Rege S. Stephano, libertatis ac Nobilitatis Vngaricæ fundatore, latis, cautum eſt, *Ne ad Regalis dignitatis ordinem accedat, niſi fide Catholica imbutus.* Eam fidem Catholicam requirunt leges noſtræ, in omnibus Vngariæ Regibus, quam S. Stephanus, ſecundùm Deum, in Vngaria plantauerat, quam & hodie profitemur, vt ex ipſius S. Regis Decretorum *lib. 2. cap. 9. 10. 11. 18.* &c. liquido apparet. Cum igitur Betlen, ab auita Religione Catholica ſit alienus, palam eſt, Regij faſtigij capeſſendi ſuffragia, cadere in ipſum non poſſe. Legem vero Sancti Regis, tot Sæculorum non interrupto vſu roboratam, abrogari Nouizolij non potuiſſe, latius infra commonſtrabimus. S. Steph. lib. 1. cap. 1. Infra. c. 5 + S. Stephanus.

Secundo. iuxta antiquas legum noſtrarum ſanctiones, neque Comitia legitima celebrari † neque Rex aut Prin- Dec. 1. cap. 3.

Digitized by Google

ceps conſtitui poteſt, ſine interuentu Prælatorum. Sed neque coronatio Regis ritè peragitur niſi per Archiepiſcopum Strigonienſem, Nam vt verè ſcripſit Dominus Petrus Reuai, *Reges gentis noſtræ coronandi ſacriſq; Regalibus initiandi, ab initio ſemper, munus Archipræſulis Strigonienſis fuiſſe, & nunc eſſe, ei qui vel primis labris Hiſtorias, & Regni Hungariæ conſtitutiones deguſtauerit, perſpicuum eſt.* Id quod & vetuſtiſſima Archiepiſcopi Priuilegia habent. Cum ergo nec electus à nobis ſit Betlen, nec Comitijs quibus eligi voluit interfuerit primarius Regni Status, nec vnquam ab Archiepiſcopo Strigonienſi Coronam ſperare poſſit, nullo iure vſurpari à Betlenio Regia nomina, manifeſtum euadit.

Petrus Reuai de SacraCorona Fol. 95.

Tertio. Vt taceamus prærogatiuam Regij ſeminis, crebro legibus noſtris repetitam, præſertim *Anni 1485. Art. 1. 2. 3.* de officio Palatinali. *An. 1547. Artic. 5. Ann. 1552. Art. 1. An. 1569. Art. 33.* Ne ipſa quidem negare poteſt impudentia, Sacratiſſimam Cæſ: Regiamque Majeſtatem Ferdinandum II. ritè electum, ac Sacra Corona redimitum, legitimum eſſe Regem Vngariæ. Nam ſingulari Dei prouidentia factum, vt dum *Anno 1618.* Electio peragebatur, ſpeciali diplomate aſſecurari voluerint Status Vngariæ, publicis Decretis Regni inſertum iri, quòd ipſi *Sereniſſimum Dominum Ferdinandum, Regem Bohemiæ, Sacri Romani Imperij Electorem,* &c. *iuxta antiquam conſuetudinem, & libertatem eorundem ſemper obſeruatam, paribus votis, vnanimiq; conſenſu, in Dominum ac Regem ipſorum ritè elegerunt, proclamarunt, inuocatoq; Numinis Diuini auxilio, feliciter etiam coronauerunt.* Quæ totidem verbis, inter ejus anni Statuta, publicis Regni Tabulis inſerta leguntur. Hæc tam clara, tam firma totius Regni teſtificatio, verum, indubitatum, legitimum, more maiorum Electum, ritè coronatum Vngariæ Regem eſſe, Ferdinandum II, euidenter monſtrat.

Nemo

Digitized by Google

Nemo igitur alius, Regij in Vngaria tituli capax eſſe poteſt. Nec in arbitrio ſubditorum poſitum eſt, vt quem ſemel Regem elegerunt, ludicra Metamorphoſi, quoties collibuerit, abijciant, præſertim cum Rex ipſe, ſanctè & inculpatè, iuxta legum præſcripta, ſubditos moderatur. Id quod Ferdinandum II. exactè præſtitiſſe, Status & Ordines omnes Vngariæ, in Generali eorum Diæta, vix vno menſe antequàm Betlen Hungariam inuaderet, his ipſis verbis conteſtati ſunt. *Sacræ Regiæ Majeſtati, Domino & Regi ipſorum Clementiſſimo, Status & Ordines Vngariæ, immortales humillimè agunt gratias, quippe cum videant ſuæ Majeſtatis erga eoſdem fideles Status & Ordines eam eſſe benignitatem, vt ſua Majeſtas, nihil omnino eorum, quæ vel vigore diplomatis ſui Regij, vel Articulorum tempore fælicis ſuæ coronationis ſancitorum, ſtabilita fuerant, in ſeſe deſiderari patiatur.* En publicam de æquiſſimo, & vndequaq; inculpato Regimine teſtimonium. Quemadmodum igitur, Nobiles à Rege creati, & bonis donati, Iure nobilitari ſpoliari, aut poſſeſſionibus bonorum exui, ſola Regis voluntate non poſſunt. Ita, potiori Iure, legitimè coronato Regi, Ius Regium adimi, & ad nutum ſubditorum, in alium tranſcribi nequaquam poteſt, cum hic vel maximè locum habeat Iuris regula, *quod ſemel placuit, diſplicere non poterit.* Quocirca, etſi non ſim neſcius, *Regna minori periculo amitti, quàm quæri, alios enim homines, vt veſtes, ſic honores, ac dignitates impunè induere, ac exuere: Regna non niſi cum vita deponi: Nam in ſolium intrantes, caput inferre, inde niſi protractum pedibus, qui ſemel intrauerit, efferri non poſſe.* Si quis tamen etiamnum ſuperæt Diuini Humaniue Iudicij metus in animo Betlenij, cum ego Chriſtiano, ac Sacerdotali affectu, monitum cupio, Ne ſe, ne alios, ſi vlterius pertendat, præpoſtera ac moroſa prudentia, in manifeſtum exitium præcipitet. Ne miniſtris furore cæcis & tan-

Dieta An. 1619.

Thuan. lib. 70. Hiſt.

quam ſub breui Imperio, feſtinantibus in ruinam, credulas aures præbeat: Ne noua bellorum incendia ſpargat; Ne Regni Vngariæ euerſionem flocci faciat, ac dum inexplebili cupiditati morem gerit, attritis vtrinque viribus, potentiſſimo ſimul & impotentiſſimo Turcarum tyranno, ad internetionem Chriſtiani nominis viam aperiat, ſed quem propriæ conſcientiæ teſtificatione legitimum Vngariæ Regem intelligit, eidem ſua Iura illæſa permittat, niſi Diuinæ vltionis memorabile exemplum ſtatui in ſe velit, ex quo omnes diſcant ab omni maleficio, & iniuria temperare, Memores, quod cuiquam fecerint, id ſibi à quouis expectandum eſſe.

Quarto. Nec legitimis Comitijs Electio Betlenij peracta eſt, nec ab Ordinibus vniuerſis, nec more maiorum, ſed tumultuaria conclamatione ſeditioſorum, cùm omnia metu ac trepidatione plena, cùm Comitiorum locus armatis cinctus, cùm certa mors abnuentibus denunciata fuiſſet. Comitia quidem authoritate Sacratiſſimæ Cæſ: Regiæque Majeſtatis Inducialium diplomatum vigore vt fierent, obtinuerant. Intelligebãt ſiquidem, Regalibus literis, Regia duntaxat authoritate, legitima Comitia publicari ac celebrari poſſe. At verò poſtquàm ſua Majeſtas animaduertit, non ad quietem publicam conciliandam, (prout facturum ſe receperat) vti Betlenium his Comitijs, ſed nouis conſpirationibus, & animos Regnicolarum magis magiſque, à ſuæ Majeſtatis obſequio abducere, & Rebellium Bohemorum factiones fouere; per Commiſſarios ſuos, & Diætæ finem Cæſar impoſuit, & ſpe facta aliorum Comitiorum in quibus libera ſuffragia dici poſſint, acta omnia, ac deinceps agenda, ac concludenda Nouizolij, Regia authoritate reſcidit, ac prorſus aboleuit. Poſteaquam igitur legitima Comitia eſſe deſierant, primo ac præcipuo Regni Statu Eccleſiaſtico abſente,

Digitized by Google

ſente, reclamantibus ac proteſtantibus multorum Comitatuum Legatis, quibus injunctum à ſuis principalibus fuerat, vt Sac: Cæſ: Regiæque Majeſtatis dignitatem, ac authoritatem, modis omnibus tuerentur, bonis omnibus abnuentibus, temeraria factioſorum acclamatione, Rex Betlen conſalutatus fuit. Quæ cum ita ſint, nemini dubium eſſe poteſt, Scenicam hanc, ac prorſus euanidam Betlenij Electionem, eiectioni vicinam, nullum Ius, nullam regendæ Vngariæ authoritatem, ipſi attribuiſſe, ſed præſumptum, vſurpatum, raptum, Tyrannicum eſſe, quicquid ipſe ſibi arrogat, ac impotenter exercet.

Quinto: Notorium ac publicum eſt, Betlenium dum *Anno 1613.* pulſo Domino ſuo, in Principatum Tranſyluaniæ, Turcicis copijs vim & metum admouentibus, intruderetur, inter alias regnandi conditiones Typis Claudiopoli in Tranſyluania publicatas, ſecundo loco, illud Iurejurando interpoſito promiſiſſe, *Quòd cum Romanorum Cæſ: Majeſtate, & Regno Hungariæ, bonam vicinitatem, & pacem ſollicitè ſeruabit.* Præterea, in vtroque tractatu Tyrnauienſi *Anno 1615. ac Anno 1617.* fide publica, Diplomate principali, interpoſita aſſecuratione totius Tranſyluaniæ, Authenticis ſcripturis roborata, promiſit idem Princeps Betlen. *Quòd contra legitimos Reges Vngariæ, Auguſtiſſimam Domum Auſtriacam, Regna & Prouincias cum quibus ſua Majeſtas ſingularia pacta habet, nullo vnquam tempore, auerſam, & hoſtilem prætenſionem habebit. Quòd idem Princeps Betlen, vnà cum Statibus & Ordinibus Tranſyluaniæ promittit ſuæ Majeſtati, ſuis Succeſſoribus legitimis, Regno Vngariæ, quòd quandocunq; neceſſariũ fuerit, contra omnes eorũ hoſtes (excepto Turca) omni ope, auxilio, viribus & fidelitate aderunt,* ſed & illud pariter adpromiſit. *Quòd præſidia & Confinia Ditioni Tranſyluanicæ ſubiecta, nunquam à corona Regni Hungariæ abalienabit.* Hæc omnia, tam ſanctè promiſſa, quàm

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

religioſè obſeruarit Princeps Betlen, me tacente, res loquitur. Illud fidenter dico, quiſquis huiuſmodi Iuramenta palam violarit, is, ne infimum quidem ac tenuiſſimum hominem, vllius culpæ aut delicti accuſare, vel teſtificatione premere poteſt, nedum iudicare.

Tripart. part. 1. Tit. 9.

Sexto. Ea eſt primaria Nobilitatis Vngaricæ prærogatiua, *Quòd Nobiles, nullius, præterquàm Principis legitimè coronati ſubſint poteſtati. Nobilium nomine hoc loco intelligendo, vniuerſos Dominos Prælatos, Barones, Magnates.* Cum igitur Principis Betlenij, & adhærentium ipſius poteſtati, nemo Eccleſiaſticorum, nemo vel minimus Nobilium de Iure ſubſit; nullam ab ipſis contra nos legem Statui, nullam proferri ſententiam poſſe, rectiſſimè contendimus.

*Colō. Decret. lib. 1. c. 5. 6. 14. S. Ladis. lib. 3. cap. 25. ✠ S. Stephanus. lib. 2. Decret. ✠. c. 3.

Septimo denique, Patrijs legibus cautum eſt. * Ne in actionibus perſonalibus, per Sæcularem Iudicem conueniri poſſint Eccleſiaſtici: ſed & illud additum † *Teſtimonium Laici aduerſus Clericum, nemo accipiat.* Igitur iure noſtro vtimur, cùm proſcriptiones, depoſitiones, oppreſſiones Cleri, per Betlenium factas, temerariè præſumptas, iniuſtè vſurpatas dicimus. Palam enim ac ſolenniter proteſtamur, Principem Betlen, & eius ſequaces, Iudices perſonarum noſtrarum eſſe non poſſe.

CAPVT IIII.

Defectu legitimi Proceſſus, Conſtitutionis Betlenianæ vanitas comprobatur.

DIuini humanique Iuris interpretes vniuerſi, magno aſſenſu pronunciant, Iniquam, Iniuſtam, penitus nullam eſſe, etiam competentis Iudicis ſententiam, niſi præcedat legitima cauſæ cognitio, proceſſuſque Iuridicus: hoc eſt, niſi cita-

tus, accuſatus, auditus, ac denique Iure conuictus fuerit qui condemnatur. Nam, vt quondam ab Oratore ſummo dictum eſt, *quid indignius, quàm qui neque adeſſe iuſſus ſit, neque accuſatus, de eius capite, ac fortunis omnibus, iudicetur?* Prudenter Tacitus, *Inauditos atque indefenſos tanquam innocentes perire*, dixit. Nam Tacit. 1. Hiſto.

Qui ſtatuit aliquid parte inaudita altera, Seneca in Medea.
Æquum licet ſtatuerit, haud æquus fuit.

Quamobrem & Lotharius II. vt incorrupti Iudicis partes exequi ſe oſtenderet, ſymbolum illud prætulit. *Audi alteram partem*, & Alexander Macedo, quoties accuſantem audiebat, alteram occludebat manu auriculam, defenſori eam ſeruatam volens. Cum itaque, *Nemo innocens eſſe poſſit, ſi accuſaſſe ſufficiat*, ſapienter monuit Euripides, *Nihil vtilius eſſe prudenti Incredulitate.* Ammian.

Deus ipſe, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, etſi non ignorabat, quid contra ſuum interdictum, Adam & Eua perpetraſſent, Euocauit tamen vtrumque, & quaſi quæſtionem, cauſæque cognitionem inſtituit: vtrumque audiuit, ac tum demum in conuictos, ſententiam pronunciauit. Admirabilius illud, quòd non contentus fœdiſſimorum, ſceleratiſſimorumque Sodomitarum clamore. *Deſcendam* inquit *& videbo, vtrum clamorem qui venit ad me opere compleuerint, an non eſt ita? vt ſciam.* Deus cui nuda ſunt omnia, & aperta, non ignorabat ſcelera Sodomorum, & tamen, vt mortalibus Iuriſdictionem exercentibus, exemplo præluceret, ne præcipitarent iudicia, ſed audita relataque acriter examinarent. *Deſcendam* inquit *& videbo.* Iudæi quoque cùm aliquando Chriſtum Dominum, non auditum damnare vellent, Nicodemus interceſſit, ac ne ſententiam præcipitarent, eo argumento euicit, quòd ſecundum legem, nemo niſi auditus, damnari poſſit. Pari ratione, dum inſtanter Apoſtoli Geneſ. 3. v. 11. Geneſ. 18. v. 21. Ioann. 7. v. 21. 51.

Digitized by Google

Pauli perniciem vrgerent Iudæi, Portius Feſtus, proie-
Actor. 26 v. 25. 16. ctam ipſorum temeritatem ita repreſſit. *Non eſt Romanis conſuetudo damnare aliquem hominem prius, quàm is qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumq; defendendi accipiat ad abluenda crimina.*

Quid de legibus noſtris dicam? nihil crebrius, nihil efficacius inculcant, quàm vt nemo ad cuiuſuis clamores, lamenta, querelas, niſi legitimè citatus, accuſatus, conuictus, damnetur. Andreas Hyeroſolimitanus, eo ipſo Decreto, cuius * Regij Iuramenti formula meminimus, ſanctè promittit, † *nec ſe, nec poſteros ſuos, Nobilem capturum, vel deſtructurum, niſi primo citatus, & ordine Iuridico conuictus fuerit.* Præterea in Tripartito primum illud ponitur Nobilium priuilegium, quòd etſi grauiſſimum crimẽ perpetrarint, *ſi tamen de loco delicti aufugerint, non aliter niſi citatione mediante, proceſſuq; Iuridico, damnari & aggrauari poſſint*, Secũdum Priuilegiũ illud dicitur, *quòd Nobiles Regni, nullius præterquam Principis legitimè coronati ſubſunt poteſtati, & ipſe quoque Princeps, ad ſimplicem querelam, & ſiniſtram ſuggeſtionem alicuius, neminem eorum præter viã iuris, & altera parte non audita, in perſona, vel rebus ſuis, ordinaria authoritate impedire poteſt.* Additur verò, *Per Nobiles hoc loco intelligi generaliter, vniuerſos Dominos Prælatos, Barones, Magnates.* Tempus me deficeret, ſi recenſere vellem, quoties hæc ipſa lex renouata, confirmataque fuerit. Videatur *Decretum I. Vladiſ. Art. 11. Matthiæ 1. Decret. 2. Art. 18. & Decret. 3. Art. 10.* &c. Atque in hoc verti cardinem libertatis Vngaricæ, non obſcurè indicarunt maiores noſtri, dum hoc priuilegium Nobilitatis, & expreſſo Regiæ Majeſtatis Iureiurando roborari voluerunt, & apertè declararunt, quòd ſi *Rex ipſe contrarium attentarit, tunc ſine nota alicuius infidelitatis, liberam illi reſiſtendi & contradicendi habent facultatem tàm Epiſcopi, quàm alij nobiles Regni, vniuerſi, & ſinguli,*

* Decr. Fol. 381.
† Decr. Anno. 1222. Art. 2.
Parte 1. Titt. 9.
Tripart. parte 1. Tit. 9.
Andr. Decret. Anno. 1222. Art. 31.

Digitized by Google

guli, ô libertas, tanto maiorum noſtrorum ſanguine parta, in quantam ſeruitutem degeneraſti? Non vnus aliquis è promiſcua nobilitate, ſed primus ac ſupremus Nobilitatis Vngariæ Status vniuerſus, cruda, ac prorſus Dacica ſanctione, nec citatus, nec auditus, nec vllius ſceleris conuictus, lata præcipiti, & inconſulta ſententia, honoribus exuitur; bonorum poſſeſſione exturbatur. Una eſt eademque libertas ſtatus Eccleſiaſtici, ac reliquæ Nobilitatis Vngaricæ, vt ſuperius ex patrijs legibus monſtrauimus: pernicioſo itaque ad poſteritatem exemplo, tota prorſus Vngaricæ Nobilitatis prærogatiua euerſa, ac ſubruta eſt per Betlenium, dum nos nec citati, nec aggrauati condemnamur. Et quod nobis hodie factam vides Vngara Nobilitas, id cras tibi futurum ne dubita. Quid enim? ſi hodie priuilegia Nobilitatis in vno Regni membro violare licet Betlenio, an ſi libeat, non licebit cras in altero?

Tripart. part. 1. Tit. 2. 5. & 9. 2. part. Tit. 11.

Perlatum ad me fuit, Betlenium auidè bonis Eccleſiaſticis inhiantem, in eo eſſe, vt Ordinem Eccleſiaſticum Conuenticuli Nouizolienſis ſuffragio, bonorum poſſeſſione deturbaret; Ideoque maturè ad eos qui Nouizolij conuenerant, binas exaraui literas, quarum alteræ, meam propriè perſonam, alteræ totum Statum Eccleſiaſticum concernebant. Et licet oſtenſa innocentia noſtra, & interpoſitis idoneis proteſtationibus, rogaſſem, ne præcipitarent, ſed ſi quid erratum (cuius tamen nulla nos conſcientia tangimur) cum leges ac judicia non deſint in Vngaria, debitis ac conſuetis modis nos conueniant, paratos innocentiam noſtram omnibus teſtatam reddere, ac calumniantium criminationes euertere. Repræſentatæ fuere hæ literæ per Dominum Vngariæ Palatinum, ac in publico perlectæ: præualuit tamen Betlenij potentia, ac contra Diuini, humanique Iuris ordinem, nec euocati, nec auditi, nec conuicti, à Iudicibus ſimul, & Accuſatori-

Digitized by Google

bus,& Teſtibus, damnati, bonis ſpoliati, Patria proſcripti ſumus.

Ex his, vel ipſorum aduerſantium ſenſu, conſtare arbitror, Iniquam, Iniuſtam, Diuinis humaniſque legibus aduerſam, prorſus nullam eſſe Nouizolienſem Betlenij contra nos latam ſententiam: adeoque hoc ſolo facto, totam Nobilitatis prærogatiuam ſeruili adulatione euerſam, ac Betlenij Tyrannide oppreſſam; ob quod ſolum
Tripart. parte 1. Tit. 9. Andreæ Decret. Anno. 1222. Art. 31. facinus, *ſine nota alicuius infidelitatis, Vniuerſos & ſingulos Nobiles & Epiſcopos, reſiſtere, ac contradicere poſſe* Betlenio, non in eo ſolùm in quo nunc eſt ſtatu, ſed etſi altius euectus foret, legum Patriarum teſtificatione ſcimus.

CAPVT V.

Defectu Iuſtitiæ, ſententia Betleniana eliditur.

DVBIVM non eſt, Iudicis ſententiam legibus adſtrictam eſſe debere; quamobrem, ſi manifeſtè aduerſetur legibus, non iniqua ſolùm, ſed & vana, & inualida ſit, oportet. Iam verò quis non videt, contra omnia Diuina, humanaque Iura, contra leges omnes fieri, quòd Bona Deo dicata adimantur, quòd ſæcularibus addicantur? Diuina lex eſt, *Ea quæ homines vouerint Domino, mutari non poſſe.* † *Omne quod Domino conſecratur, ſiue homo, ſiue animal, ſiue ager, redimi non poterit. Quicquid ſemel fuerit conſecratum, ſanctum erit Domino.* Nempe vt Ioſeph ſolam Sacerdotalem terram immunem, nec vendibilem eſſe voluit in Ægypto, ſic Deus optimus, ea quæ ſibi oblata forent, nec mutari, nec redimi, nec in vſum alium verti poſſe, edixit. Seria etiam animaduerſione, Di-

Leuit. 27. v. 9. † v. 28. Gen. 47. v. 22.

Digitized by Google

me, Diuina vindicta caſtigati, qui Deo oblata ereptum
iuerunt. Nam & Rex Balthaſar, quòd prophanis vſibus Daniel. 5.
ſacra vaſa polluerat, inopinata morte perijt; Et Heliodo- 2. Ma-
rus, quòd violata Dei domo, pecuniam ibi aſſeruatam di- chab. 3.
ripere tentarat, flagellis exanimatus. Ananias verò, & Actor. 5.
Saphyra, morte ſubitanea interempti, non quòd ab alijs
Deo oblata rapuerint, ſed quòd partem ſuarum faculta-
tum retinuerint, quas antea Deo conſecrarant. Plenæ
ſunt veteres hyſtoriæ Eccleſiaſticæ, ſimilibus Diuinæ Iu-
ſtitiæ teſtimonijs; Apoſtatæ Iuliani auunculus, Iulianus Hiſtor.
& ipſe dictus, ſtatim ac vaſa Sacra è templo Antiocheno Tripart.
abſtulit ſæuo morbo correptus, putrefactis viſceribus, to- lib. 6.
to corpore ebullientibus, ac ſceleſtam carnem depaſcen- cap. 31.
tibus vermibus, non per ſolitos meatus, ſed per os bla-
ſphemum ventris ſordibus egeſtis, infelicem animam ex-
halauit. Quid de Leone quarto Conſtantinopolitano Im-
peratore dicam? Coronam auream in templo Sanctæ So- Zonar.
phiæ dedicatam, cui inæſtimabilis precij Carbunculus Niceph.
inerat, abſtulit prophanus Imperator, capiti proprio im- Baron.
poſuit. Res mira: continuò peſtilens & inflammatus in Anno
capite tumor, quem Carbunculum vocant enatus, homi- Chriſti.
nem extinxit. 780.

Iam, ſi ſacros Canones, legeſque Eccleſiaſticas conſi- Plura vi-
deremus, nihil crebriùs, quàm anathemata, diras exe- de apud
crationes, maledicta in eos fulminata deprehendimus, Baron.
qui bona Eccleſiaſtica rapiunt. Eâ, quæ quotannis in die Anno
Cœnæ Domini publicari ſolet Bullâ, *Excommunicantur* 536.
omnes qui fructus, prouentus, reditus, ad quaſcunque Eccleſia- 557.
ſticas perſonas, ratione Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum 572. &c.
beneficiorum pertinentes vſurpant, vel quauis occaſione, & cau- Bulla
ſa ſequeſtrant. Sed & ante annos mille & ampliùs, in Con- Cœnæ
cilio Romano ita decernitur. *Qui facultates Eccleſiæ ſub* Excom. 17.
ſpecie Regiæ largitatis obtinent, niſi ea reſtituant, velut Heretici Concil. Rom. ſub Symma.

Digitized by Google

anathematizantur. † Conſimili ratione, in Concilio Turonenſi, qui vel à Rege obtinent, vel ſponte occupant bona Eccleſiæ, non ſolùm excommunicantur, ſed & Iudæ traditoris maledictionem incurrere, pronunciantur.

Sed quid leges Vngariæ, quid ipſum naturæ Ius, ac lumen, dictent videamus. *Bona Eccleſiis in perpetuam Eleemoſynam ſunt collata*, ait Ius noſtrum. Si in perpetuum collata ſunt, ad nutum alterius tolli non poſſunt. Si eleemoſynæ ſunt, Dei intuitu, imò Deo ipſi datę, & vt Proto-Rex, S. Stephanus loquitur, *Res Dominicæ, id eſt, Domino dominantium traditæ ſunt:* Adimi ergo ſine ſacrilegio non poſſunt. Deinde, quæ Eccleſiaſtici poſſident, ea partim à Regibus donata ſunt, partim à cæteris fidelibus. At legibus noſtris cautum eſt, *Reges donationi ſemel factæ, non poſſe de Iure iterum refragari.* Sed & illud additum, de fidelibus cæteris, † *Ne is qui prædia ſua Eccleſiæ dedit, vlla interueniente cauſa, ſubtrahere audeat.* Quòd ſi ij ipſi, qui Eccleſias dotarunt, lege prohibentur ſubtrahere ſemel donata, quantò magis arcentur cæteri, ad quos ea bona minus pertinent. Præterea crebrò legibus noſtris inculcatur, * *Ne Sæculares, bona Eccleſiarum vllo pacto pro ſe vſurpent.* Et annectitur: † Ob nullum crimen Eccleſiaſticorum, poſſe bona Eccleſiarum alienari.

Naturæ quoque lex, ac ratio huc ducit: Siquidem, Iuri naturali aduerſatur, vt quod alterius eſt, præter viam Iuris adimatur, præſertim, ſi ſpoliatus, coram competenti Iudice ſe defendere, ac ei, qui ſe læſum queritur, ſatis dare paratum exhibeat. Ad hæc, leges noſtræ non vno loco tradunt, *vnam eandemq́; libertatem, exemptionem, prærogatiuam* habere Prælatos, Barones, ac Nobiles vniuerſos. Si igitur ſalua hac libertate adimi Eccleſiaſticis ſua bona poſſunt, quidni pari ratione adimi & Sæcularibus Dominis poſſint? Fac armatum Principem, Nobilitate delinita, Ma-

Baron. An. 504. * Apud Baron. An. 570. Tripart. part. 1. Tit. 84. S. Sephanus lib. 2. Decr. 1 Tripart. part. 1. Tit. 37. ✠ S. Ladiſl. Decret. 1. cap. 23. * Vladiſ. Decr. 2. Art. 55. Maximil. Anno 1567. Art. 31. Ferdin. Fol. 613. Decret. ✠ 2. part. Tit. 44. Vladiſ. Decr. 7. Art. 27. Tripart. 1. part. Tit. 2. 9. 2. parte, Tit. 11.

gnatum

Digitized by Google

gnatum ordinem abolere, bona adimere: Fac, Magnatum, & Nobilium fauore, Ciuilem Statum ruſticitati accenſere. Iurene id, ac licitè fieri diceτis? At meminiſſe par eſt, Naturæ legem eſſe, vt quod tibi fieri nolis, alteri ne feceris.

Scio quid petulca, ac imperita Iuuentus, apud ignaram multitudinem muſſitet. *Abrogari conſtitutiones priores, per poſteriores.* Fuiſſe olim in fauorem Cleri latas leges, eas nunc Nouizolienſi ſtatuto antiquatas eſſe: ac Rege nouo, Leges nouas editas. O cœca, ac præceps temeritas quo ruis? Fateor, quibuſdam in rebus, abrogari vetera nouis ſtatutis poſſe, ſed non ab alio, quàm qui leges, & ſtatuta noua condere poteſt: cum enim ipſa prioris ſtatuti antiquatio, nouæ conſtitutionis vigore fiat, clarum eſt, ab eo ſolùm vetera tolli poſſe, qui Ius & poteſtatem noua Decreta condendi habuerit. Atqui, jam antea commonſtrauimus, nec Betlenium, nec Nouizolij collectos, vllam legis condendæ facultatem habuiſſe, cum leges noſtræ, ſolis Regibus legitimè coronatis, accedente conſenſu Prælatorum, Baronum, ac Nobilium, ſtatuti condendi authoritatem attribuant. Deinde vetera ſtatuta, ita nouis editis tolli poſſunt, † *vt ſalua ſemper Diuina, & naturalis lex maneat.* * *Humanæ enim leges, eatenus valent, quatenus non diſcrepant à Diuinis, Lex ergo contra legem Diuinam, nec populi aſſenſu, nec conſuetudine diuturna, eſt valida.* Denique & illud leges noſtræ habent. *Statutum contra Ius canonicum, libertatem Eccleſiarum diuturnam, vel priuilegia eis conceſſa, non valere.* Cum igitur Statutum Nouizolienſe, & Diuinæ, & naturali legi, & ſacris Canonibus, & diuturnæ Eccleſiarum libertati, ac priuilegijs manifeſtè repugnet, nemini dubium eſſe poteſt, poſteriori Nouizolienſi Decreto, iniquiſſimam rapacitatem ſtabiliri, non tolli priora Sanctiſſimorum Regum ſtatuta.

Tripart. 2. parte. Tit. 2.

† 2. part. Tit. 3.

* Prologo Tripart. §. De definitione legis.

Prologo Tripart. §. Vtrum valeat.

Digitized by Google

CAPVT VI.

Ob falſas, & inſufficientes allegationes Decreta Betleniana exploduntur.

NOTA eſt Iuris Regula, Sententiam ex falſis allegationibus, falſis,& inſufficientibus cauſis, falſis teſtimonijs pronunciatam, ipſo Iure nullam eſſe. Cum igitur Betlen ſua illa Nouizolienſi conſtitutione, falſas, euanidas ac omni ex parte inſufficientes cauſas adferat, ob quas & generatim Eccleſiaſticos, & quoſdam nominatim bonis,honoribus,iuribus,fama denique ſpoliandos exiſtimauerit,dubium eſſe non debet,iniquam,inualidam & prorſus Tyrannicam eſſe hanc Betlenij ſententiam.

Et vt ordine ac methodo rem expediamus, Primum ea videamus,quæ generatim Clero,mihique nominatim quaſi cum cæteris communia, obijciuntur. Deinde ad ea deſcendamus,quibus me ſolum Archiepiſcopum Strigonienſem traducunt.

Cauſas quibus permotus Betlenius, Statum Eccleſiaſticum, ac me quoque nominatim, fortunis, honoribusq́; ſpoliandum exiſtimauit, his verbis complectitur. *Clerus abuſus beneficijs, non ad promotionem Diuini cultus, ſed ad fomentum ſui faſtus, & nonnulli luxuriæ quoque ac in perturbationem patriæ vſurpauit. Si quando conſultationes, vel publicè vel priuatim, ſuper communi bono, tutaq́ ac ſecura permanſione Regni inſtituta fuiſſent, ſemper eas impediuit.* Hæc in Clerum, ſine vllis documentis, nuda accuſantium dicam an calumniantium conuiciatione,proferuntur. Eadem operâ,

Artic. 8. Nouizolienſi.

ra infinita, hiſque longè grauiora crimina affingi Clero poterant, quæ tamen omnia, ſimplici negatione depelli, efficaciſſimè poſſunt. Nec aliud hîc reſpondere neceſſum eſt, quàm quòd à competenti Iudice citati non fuimus; præcipitata ſententia, ante legitimam cauſæ cognitionem, damnati ſumus; meris igitur criminationibus maligni pectoris accenſenda ſunt, quæcunque obtenduntur.

Vt tamen latæ contra Clerum ſententiæ iniquitas, clarius eluceſcat, age excutiamus quatuor illa accuſationum capita, quibus cauſam ſententiæ aduerſus Clerum pronunciatæ complexus eſt Articulator.

Prima cauſa. *Clerus beneficijs non ad promotionem Diuini cultus vſus eſt.* Anxiè queſtus erat Iudas, quod vnguentum à Chriſti capite in terram defluens, grandi ære, in pauperes erogando, venditum non fuerit: id non idcirco ægrè fuiſſe proditori, notat Euangeliſta, quia de egenis cura illi eſſet, *ſed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat.* Tu quoque Lector optime, nolim cogites, Betlenio, vel aſſeclis ipſius curæ eſſe, vt Diuinus cultus, iuxta ritum Cleri Catholici promoueatur, quem totum penitus euerſum cupiunt, & eos maximè oderunt Eccleſiaſtes, quos in hoc cultu promouendo impenſius laborare deprehendunt. Bona Eccleſiaſtica, vt rapiant, illis cordi & curæ eſſe, certò ſcias. Tamen vt velare iniquitatem poſſint, Diuinum cultum eâ ratione obtendunt, quâ egentium ſolatio, velut inducta larua, furacitatem ſuam Iudas veſtiebat. Nihil magis odia Acatholicorum in nos exacuit, quàm quòd viderint filios Eccleſiæ Catholicæ eo magis multiplicari, quò magis Pharaho Infernalis ipſos oppreſſum ibat. Rumpebantur dum cernerent Catholicum Dei cultum, maximos in Vngaria progreſſus facere, ac identidem illa Chriſti interfectricis conſilij verba reuoluebant. *Quid facimus?* Quia totum Regnum fiet

Ioan. 12. v. 6.

Ioan. 11 v. 47.

fiet Papiſticum: Hinc illæ lacrymæ, hinc odia, hinc furores. Audeo affirmare, Scholarum, Seminariorum, Alumnatuum, Collegiorum, inſolita, nec à maioribus noſtris viſa, fœcunda ac in dies ſuccreſcens felicitas, Doctorum hominum, Eloquentiſſimorum Concionatorum multitudo, exemplarium Sacerdotum frequentia, Cœnobiorum vtriuſque ſexus Religioſa diſciplina. Denique exterior Templorum ædificatio, renouatio, cultus, & ornatus, ita in Vngaria excreſcebant, vt niſi Dæmonis inuidentia, tam ſanctis omnium conatibus remoram iniecisset, breui ad veterem Vngaricæ gentis pietatem refloreſcere poſſe videretur Pannonia.

Sed, fac aliquid pro humanæ conditionis imbecillitate remiſſius, aut verò etiam negligentius, per Clerum in Diuino cultu adminiſtratum fuiſſe. Nego huius rei diiudicationem, ad Betlenium vel Nouizolienſes pertinuiſſe: Nego idcircò vel potuiſſe, vel debuiſſe, Clerum bonis, & honoribus ſpoliari. Magnus erat filiorum Heli error,
1. Reg. 2. qui auidâ rapacitate, Deo ſacratas carnes, immaturè eripiebant, ſicque homines à ſacrificando retrahebant. Nunquid idcircò Ordo Sacerdotalis, bonis, honoribuſq; ſpoliatus fuit? minimè gentium: Puniti ſcelerum authores; nec patris indulgentia, erratis liberorum conniuens, incaſtigata abijt; Ordini ſacro, nihil quidquam derogatum fuit, cum vitia perſonarum, grauare totum ordinem
Ioan. 12. v. 6. nec debeant, nec poſſint. Iudam proditorem contemplare, loculos habebat, ea, quæ mittebantur portabat, ſed & furabatur: adeone iniquus es in Chriſtum & Apoſtolos, vt idcircò nihil Chriſto, nihil Apoſtolis tribuendum dicas, quòd Iudas officio abutebatur? Apage cum hac inſulſa ac inſana ratiocinatione.

Secunda cauſa. *Clerus ad fomentum ſui faſtus, abuſus eſt opibus Eccleſiaſticis.* Venit in mentem, quid Chriſtus Iudæis,

Digitized by Google

dæis, omnia in deteriorem partem trahentibus dixerit. *Cantauimus vobis tibijs, & non ſaltaſtis, lamentauimus & non ploraſtis; Venit enim Ioannes Baptiſta, neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis, Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicitis, Ecce homo deuorator, & bibens vinum, amicus publicanorum, & peccatorum.* Idipſum ego queri de Acatholicis poſſum, Nam quemadmodum, qui viciatam habent corporis conſtitutionem, innoxios etiam, imò ſalutares cibos, in exitialem humorem mutant, ita hi, malè aduerſus Catholicam Eccleſiam affecti, quicquid in eâ vident, malignitatis ſuę materiam faciunt. Si pauperes, ſi omnium rerum poſſeſſione exutos, horridè ac incomptè cultos, corrogata ſtipe, ex ſuccam ægrè vitam trahentes Sacerdotes viderint, quales in Eccleſia religioſos vident innumeros, dici non poteſt, quot illos ſannis, quot aculeis, quot criminationibus perſtringunt. Contrà, ſi alios opulentos viderint, Apoſtolicam paupertatem in illis deſiderant, faſtum obiectant: Vno verbo, nihil in Eccleſia conſpicere poſſunt, quod ad ſaliuam ac palatum ipſorum faciat, quod in odium ac Inuidiam non rapiant.

Lucæ 7. v. 32.

Credo equidem, vetuſtis Temporibus eas fuiſſe in Vngaria opes ac facultates Cleri, vt ab inuidis obtrectatoribus, faſtus obiici aliqua veri ſpecie potuerit. Nunc adeo acciſa, & euerſa ſunt omnia, vt ſi alijs Chriſtiani orbis partibus componatur Vngaria, non faſtus, ſed ſumma egeſtas, ac penè mendicitas relicta Vngaris Epiſcopis videatur. Peritorum ac dignorum fide relatione conſtat, in vna Hiſpania, vndecim Archiepiſcopos, ſexaginta quinque Epiſcopos numerari, quorum annui reditus conficiunt Duodecies centena ſcutatorum millia, hoc eſt florenorum noſtratium ſupra vicies quater centena millia: Canonicorum & aliorum beneficia poſſidentium aliquantò

Boterus relatione de Hiſpania.

Boterus ibidem in Caſtella Noua.

quantò amplius. Religioſorum verò prouentus, longè longeque amplius efficiunt. Et vt cæteros taceam, ſolus Archiepiſcopus Toletanus, ſupra Ducenta ſexaginta millia Scutatorum, id eſt florenorum propè ſexcenta millia percipit; Capitulum multò amplius. Quid de Gallia dicam? Archiepiſcopi in ea quindecim, Epiſcopi centum, & quod excurrit, cenſentur, & ſi Botero diligenti ac curioſo talium indagatori credimus, reditus illorum, ſex milliones, hoc eſt ſexagies centena millia Scutatorum, conficient. De Germania, deque Italia, ac vicina Polonia, nihil dico, cùm vix reperiatur, qui immenſam, ac multis Principibus inuidendam Eccleſiarum ijs locis opulentiam, exploratam non habeat. Nec opes iſtas Sacerdotem dedecere arbitraberis, ſi attendas, in lege Moſaica, maiores etiam fuiſſe Sacerdotum facultates. Nam præter Ciuitates quadraginta octo eorum proprias, Decimam rerum omnium, Primogenita omnium animantium, Primitias frugum, Oblationes innumeras, Sacrificio deſtinatas carnes, percipiebant: vt proinde non deſint, qui ex Ezechiele deducere velint, dimidium omnium fructuum ac emolumentorum terræ ſanctæ, Sacerdotibus ceſſiſſe, reliqua medietate inter Regem & populum diuiſâ. Sed Apoſtolici ſcilicet Nouatores, ad Apoſtolos vocant; ſequamur. Mentiar, ſi non ampliores Apoſtolica manu, vel nutu diſpenſatæ opes fuerint, quàm aliorum, qui poſtea ſecuti ſunt Sacerdotum, *Quotquot enim poſſeſſores agrorum aut domorum,* erant inter Chriſtianos, *vendentes, afferebant pretium, & ponebant ante pedes Apoſtolorum.*

Gregor. Toloſan. de Rep. lib. 3. c. 7 ex Ezech. 45.

Actor. 9. v. 34.

Videamus iam quàm amplæ ſint Cleri Vngarici opes, quas in faſtum inſumi queritur Betlen. Ac vt de minoribus Sacerdotijs taceam, quæ vel ipſi aduerſarij tenuiſſima eſſe non inficiantur, Archiepiſcopos duos habet Vngaria, Epiſcopos omnino duodecim. Ex his, reſiden-

tiam.

Digitized by Google

tiam, Vnus Archiepiſcopus, quatuor Epiſcopi habent, reliqui per Turcas ſedibus excluſi. Horum omnium, hoc eſt Archiepiſcoporum, ac Epiſcoporum annui reditus, quos vel in pecunia, vel in rebus humano vſui neceſſarijs percipiunt ipſi, (quæ enim per abuſum, in milites, ac fiſcum deriuata ſunt, non numero) ſexaginta millium florenorum ſummam non attingere, poſt diligentem & exactam inquiſitionem liquidò mihi exploratum, affirmare audeo. Non ſum neſcius, à rerum imperitis, omnia in maius extollentibus, aliud vulgò circumferri, id tamen quod dixi, & libris cenſualibus, & aliquot annorum exactè calculatis rationibus comprobare, ac palam commonſtrare me poſſè, recipio. En materia tanti faſtus, tam odioſè exaggerati.

De me illud fidenter dico, ex duorum annorum prouentibus Archiepiſcopalibus (quos ſolos integrè percepi) nunquam in vſus meos tertiam partem erogatam, ſed longè duabus tertijs ampliorem portionem Seminarijs, Collegijs, Contubernijs pauperum, Alumnorum, Egentium ſeu domeſticorum, ſiue peregrè proficiſcentium ſuſtentationi, Fabricæ item, ac ornamentis Eccleſiarum, impenſum fuiſſe; idque productis tabulis dati & accepti, facilè ac libenter cuiuis volenti comprobabo. Hæc non ideò à me commemorantur, quòd inanis alicuius gloriolæ fumum mercari velim; abſit. Alienum dedi, magni patris familias diſpenſator inutilis fui, quod facere debui, (nec illud tamen exactè) feci: ſed, *factus ſum inſipiens, vos me coegiſtis* faſtidioſa illa veſtra faſtus commemoratione. Quod ſi verò alicubi exerraui dum vel decorum perſonæ quam ſuſtineo conſeruare, vel alijs ſatisfacere (*debitor enim ſum ſapientibus, & inſipientibus*) vel ſecuritati vitæ meæ, ac aliorum, in tanta pullulantium rebellionum impetigine per familiæ frequentiam conſu-

2 Corint. 12. v. 11.

Rom. 1. v. 14.

Digitized by Google

lere ſatago, id in primis à Diuina Clementia condonari mihi impenſè oro: teſtem tamen conſcientiam habeo, nihil ex faſtu, nihil ex aliorum contemptrice arrogantia me feciſſe. Neque enim altiores vnquam ſpiritus ex acceſſione dignitatis Eccleſiaſticæ ſumpſi, ſed metum reddendæ rationis auxi: externum omnem cultum, velut ſomnium exiſtimaui. Si igitur faſtus, externo apparatu, Statui ac conſuetudini accommodo, æſtimari debet, nonnulla fortè eius dijudicatio Betlenio deferri poteſt: ſin verò, affectus faſtum, non cenſus, non cultus facit, temerarium, præſumptuoſumque eſt, quidquid de faſtu Cleri oggeritur. Et licet aliquid & hic peccatum foret, Nego id ad Betlenij tribunal ac cognitionem: deduci debere Nego ob id iure potuiſſe Clerum honore ac bonis ſpoliari.

Tertia cauſa. *Nonnulli ex Clero luxurioſi* fuère. Vtinam Betlen, illud à magno Oratore ſapienter dictum, animo reputaſſet, dum Articulos condebat, *Qui ab altero rationem vitæ expoſcunt, legem ſibi indicunt innocentiæ, continentiæ, cæterarumque virtutum.* Nam

Iuuenal. Satyr. 2.

Quis tulerit Grachos de ſeditione querentes?
Claudius accuſet Mæchos? Catilina Çethegos?
Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.

Sueton. Nero, fœx ac ſentina libidinum, ſuo pede cæteros metiebatur, nec quenquam caſtum ac continentem arbitrabatur, *Stultus enim in via ambulans, cum ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultòs exiſtimat.* Sed propoſitum mihi non eſt aliorum vitia renudare, Rem ipſam dico.

Eccl. 10. v. 3.

Vtinam ea eſſet Eccleſiæ Chriſti fœlicitas, vt nulla ibi eſſent ſcandala, nulla morum corruptela occurreret: ſed ſi Lucifer in cœlo, Adam in paradiſo cecidit; ſi nulla quantumuis ſelecta ac exigua familia fuit, in qua inſignitè improbi deeſſent; quid mirum, ſi in area magni patris

familias

familias, & paleæ reperiantur? E duobus Adæ filijs, alter fratricida fuit. E duobus Abrahæ filijs Iſmael, E duobus liberis Iſaac, Eſau ſceleſtus fuit. Iacobi ſoboles, non ſolùm fraterni ſanguinis proditrix, & voluntate fratricida fuiſſe, ſed & à Ioſepho accuſata *de crimine peſſimo legitur.* Quid de cœleſti illa Chriſti Seruatoris duodenaria familia dicam? Nonne in eâ à Chriſto toleratus Iudas, primo quidem fur nummulorum, poſt etiam proditor Dei Incarnati, imò Diabolus? Et miraris, & turbaris, vel ſi duodecimus quiſque Sacrorum miniſtrorum inueniretur deliquiſſe, quod tamen abſit vel ſuſpicari, nedum vt verè affirmari à quoquam poſſit. Sed notum eſt orbi Vniuerſo ex muſca Elephantes fieri ab aduerſarijs fidei, ac leuiſſima etiam Cleri vitia, in immenſum efferri: quibus ſi pœna talionis propoſita, probanda forent quæ effutiunt, breui paucos ſupereſſe calumniatores, orbis gratularetur. Gen. 37. v. 2.

Verùm enimuero demus, nonnullos è Clero ſolutè viuere, quos tamē ſi deprehendantur iuſta caſtigatio non præterit; Ideone totus Cleri Status euertendus? Sapienter Auguſtinus, poſteaquam dixiſſet, humana malignitate fieri, vt *ſi quis Epiſcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit,* omnes incuſentur Eccleſiaſtici, ſubnectit, *Et tamen, etiam ipſi, cùm aliqua maritata inuenitur adultera, non proijciunt vxores ſuas, non accuſant matres ſuas.* Audi quid Caluinus de ſuæ ſectæ Prædicantibus dicat, *Paſtores ipſi, interdum ſunt turpiſſima vel nequitiæ, vel malorum aliorum exempla, vt mirer vulgi patientiam, quòd non eos mulieres ſtercoribus operiant. Alij hoſpitio excepti, vel furto onuſti clam abeunt, vel ſollicitant ad ſtupra vxores* &c. Nefanda ſunt, & omnes Caligulas, Nerones, Heliogabalos fœditate ſuperant, quæ Petrus Bornemiſa, libro quem *De tentationibus Diaboli* ſcripſit, Caluinianorum, Lutheranorumque Prædicantium flagitia conſignauit; nec ideò to- Auguſt. Epiſtola 137. Caluinus libro de ſcandalis.

tum Miniſterium gradu & dignitate deturbatur, boniſque ſpoliatur. *In Eccleſia quæ toto orbe diffuſa eſt*, inquit Auguſtinus *palea eſt: & frumentum Inique, Inuide, aream ſuſpicis, qui totus in palea es, non tibi facilè grana occurrunt. Quære & inuenies. Vis inuenire? Eſto talis. Nam ſi non fueris, difficile eſt, vt non omnes tales tibi videantur, qualis es.*

Auguſt. in Pſal. 34.

Nota ſunt Acatholicorum artificia, qui modis omnibus id agunt, vt confictis ac ex leuiſſimarum ſuſpicionum vmbra collectis criminationibus, Eccleſiaſticos contemptui obijciant. Subornarant olim impudicam fœminam, quæ Sanctiſſimo Præſuli Athanaſio, admiſſam ſecum libidinem objectaret. Decepta item per hæreticos meretricula, ab alio grauidata, infantem ad templum defert, jureiurando Euſtatij prolem eſſe profitetur: nefandæ criminationis finis fuit, vt innocentiſſimus Antiochiæ Præſul Euſtatius, exilio mulctaretur. Nec mirum ſi Caluiniſtis Clerus Catholicus non ſatis caſtus videatur, cum nec Abraham, nec Iſaac, nec Sara, proſtitutæ pudicitiæ notam effugere Caluino Iudice potuerint. Quocirca, ſi vel Ioſepho caſtior, vel Suſannna pudoris tenacior Clerus foret, nunquam odioſas oblocutiones Acatholicorum effugeret, qui *oſtendunt quam ſanctè viuant, dum malè de omnibus ſuſpicātur.* De me id ſolum dico, quod de ſe Auguſtinus. *De vita mea, vobis, quicunque me noſtis, ſuperfluè loquor, ex ijs quæ nota eſſe poſſunt hominibus. Qui verò me non nouerunt, non ita iniqui eſſe debent in me, vt magis de me credant Petiliano,* Betlenio, *quàm vobis. Nam ſi laudanti amico credendum non eſt, nec inimico detrahenti.* Sanè non defugio. Quin Betlen, fidum ſibi quàm maximè, adjungat, qui quotidianas totius vitæ meæ rationes, & occupationes exploret, nec temerarijs, vel malignis garritibus, ſed certæ teſtatæque veritati locum concedat.

Socrates. Ruffin. Sozom.

Theodor. lib. 1 c. 20. 21.

Hieroni. contra Vigilant. initio. Auguſt. lib. 3. cōnt. literas Petilia: cap. 10.

Quarta cauſa. *Clerus eſt Patriæ turbator, In publicis, ac*

priuatis

Digitized by Google

priuatis conſultationibus, de bono communi, tutaq; ac ſecura Regni permanſione inſtitutis, impedimento fuit. Chriſtum Dominum cum vix alias neci dare poſſent Iudæi, hac ipſa calumnia exoſum reddiderunt. *Hunc inuenimus* inquiunt Luc. 23. *ſubuertentem gentem noſtram.* Eodem telo petiti Apoſtoli. v. 2. *Hi homines conturbant ciuitatem.* Si hæc in patrem-familias Act. 16. jactata ab improbis, quid mirum ſimili calumnia peti do- v. 20. meſticos eius? Non eſt diſcipulus ſuprà Magiſtrum.

Venit in mentem, quid in fabulis egerit Lupus, dum Agnino ſanguine orexim lenire conſtitutum haberet: Aquam inſigniter ab imo commotam alueo, ſedimentorum fœcibus permiſcuit; tum demum, truculento dentium rictu, turbatam ab Agno aquam cauſatus, innoxiam deuorauit. Eadem nunc fabula agitur. Fidei, fœderum, homagij vinculis violatis, Diuinis humaniſque Iuribus conuulſis, in Regem optimum, ac vndequaque immerentem, eiuſque fideles, nefaria arma expediuntur; vi ac cædibus Regnum alienum occupatur; ferro flammaque omnia vaſtantur, Impiæ, Injuſtæ, ſacrilegę confœderationes, perquàm fœda ratione, conſtabiliuntur; neglecta omni Nobilitatis prærogatiua. Regij Officiales capiuntur, compedibus onerantur; Epiſcopi indignè raptantur, deluduntur, excruciantur; Sacerdotes mactantur; templa prophanantur: Leges, ac Iura omnia ſuſq; deq; verſantur. Et authores tot criminum, in Eccleſiaſticos culpam tantorum flagitiorum conijciunt. O fas, ô fides? Non nos turbamus patriam Princeps Betlen, *ſed tu, & domus patris tui,* 3. Reg. ac complices tui, *qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſecuti* 18. v. 18. *eſtis Baal,* nouitia ſectarum portenta, Caluiniani cerebri Idola ac figmenta. Tu enim vir ille es, qui cum ad veram ſolidamq; gloriam tendere debuiſſes, malo conſilio conſultori peſſimo, vanis rerum imaginibus deluſus, ſpem ſupra ſortem, conſilia ſupra fortunam, expeditionem ſupra

Digitized by Google

vires ſuſcepiſti, qua tandem te, Regnumque olim florentiſſimum, in exitium lacrymoſo fine præcipitabis: quibus tamen tam triſtibus de patria dulciſſima augurijs, vt exitus deſit, ac validis adeò ruinarum initijs, remora inijciatur, præcepſq; ruentis ad Regni perniciem rotæ impetus ſufflaminetur, Deum totis votis oro.

Scire ſæpiùs optaui, quibus rationibus vel me Archiepiſcopum, vel cæteros Eccleſiaſticos turbarum patriæ cauſas faciant calumniatores: Cum enim Deo, ac conſcientia teſte, certiſſimus eſſem, in nullius perniciem aut exitium nos capita contuliſſe; nullas vel clam, vel palam contra quempiam noxias machinationes orditos eſſe; neminem, in vita, fortunis, aut honore læſiſſe; nullas ſeditiones, turbas nullas mouiſſe; haud ſanè occurrebat, quo prætextu veri ſpecie obducto, tam craſſam calumniã velare ingenioſa malignitas poſſet. Sed en tandem Betlenius cauſam profert, *Conſultationes de bono communi, tutaq; ac ſecura Regni permanſione impediuerunt Eccleſiaſtici.* Ediſſere clarius iſta ô bone: Conſultationum materiam indica, locum, tempus, occaſionem deſigna: conſilia per Eccleſiaſticos impedita explica. Quæ fuere illa tam ſalutaria conſilia? vbi? per quos? qua occaſione? quo modo ac ratione? impedita fuerit prome. Id ſi feceris, nulla alia defenſione opus erit. Sed pudore præpeditus, non facies.

Dicam ego quod res eſt clariſſimè. Dum Comes Turrianus ſtatiua in ſuburbanis Viennenſibus haberet, Comitia Poſonij celebrabamus: Ij qui Rebellionem Vngaricam poſtea concitarunt, ſalutari, (ſcilicet) conſilio vrgebant, vt cauſam noſtram, rebellium Bohemorum cauſæ iungeremus, atque arcta confœderatione cum iis inita, pari paſſu (ita locutos memini) res Vngaricæ, ac rebellium Bohemorum procederent. Huic tam perfido, tàm nefario conſilio, quo & homagium fidelitatis Regi præſtitum

ſtitum violabitur,& rebellio manifeſta continebatur,obſtitêre ſummo conatu Eccleſiaſtici,fidemque obedientiæ Regi debitæ inconcuſſam ſeruare ; vel cum præſentiſſimo vitæ diſcrimine elegerunt, qua ſalua , Rempublicam quoque aliquando ſaluam confidebant. Hinc illæ lacrymæ, quòd ſalutaribus conſilijs obluctati Eccleſiaſtici. Iiſdem ipſis Comitijs conſultarunt & illud Acatholici , vt Templa in bonis dominorum Catholicorum, alieno arbitrio Miniſtris Nouantibus paterent, vt Ieſuitæ Regno exturbarentur. Huic quoque conſultationi, cum nec Iure, nec more aſſentiri poſſent, conſtanter refragati ſunt Eccleſiaſtici, id vel maximè officio Paſtorali requirente. Hæc illa ſunt iniuſta, exitioſa, pernicioſa, ſeditioſa conſilia, quibus reſtiterunt Eccleſiaſtici. Sed quæ malùm eſt iſta præcipitis ignorantiæ caligo? An idcircò quòd quiſpiam ius liberum conſulendo, vel ſuffragia ferendi habens, ſententijs opinionibusq; diſſidet, & Bonorum publicatione, & honoris detrimento plecti debet? Quæ hæc eſt libertas vocum , & ſuffragiorum , ſi ex dictamine conſcientiæ, ſententiam protuliſſe ingratam alijs, exilia rapinamque bonorum promeretur?

Scio tædium lectori generari,quòd tam inſulſis,falſis, & extra omnem rationis orbitam excurrentibus cauſis diluendis immoror; ſed retundi tamen iſta debuerunt,ne in ipſo inſaniæ æſtuario merſi, nimium ſibi ſapientes viderentur.

Præter has cauſas, quædam aliæ, pari pudore,pari fide annectuntur, de mea Archiepiſcopi perſona,quas carptim perſtringam, ne meam potius, quàm communem Cleri cauſam egiſſe videar.

Primò:palam,ac notoriè falſum eſt, *quòd domum Selliëſem Caſparis Chuti,violēter ademerim.* Iudicis ſentētia fretus, Iudice conſignante, ac per manus tradente domus illius Art. 8. Nouiz.

Digitized by Google

poſſeſſionem Officiales mei adière. Sententiã Iudicis authenticam, originalem, ſyngraphis ac ſigillis more Patrio munitam, ad manum habeo, paratus videre cupienti exhibere Eandem ſententiam *Anno 1618.* in Comitijs Regni, publicè productam, Status approbarunt, ac in conſeſſu publico, literas quibus Ius ſuum contineri Chutius putabat, mihi conſignauit, quas itidē ad manus habeo. Hic tu Lector optime, tecum ipſe expendes, quantam in obſcurioribus fidem illi adhibendam exiſtimes, qui tanta præfidentia tranſuerſum agitur in re notiſſima.

Artic. 5. Poſon. 1620.

Secundo: Nulla tergiuerſatione excuſandum falſi crimen eſt & illud, me *ab Euangelicis violenter occupaſſe Templa Selliæ, Riben, Hinoran.* Quòd ſi horum locorum Templa Iniuſtis poſſeſſoribus eripuiſſem, meum non alienum adimendo, iure meo vſus fuiſſem, vim nemini intuliſſem. Sed ita non eſt. Ea ego templa non ademi; per Sacerdotes Catholicos adminiſtrata reperi; quod omnium ijs locis commorantium teſtimonio comprobabo. Pudenda eſt hæc, & deploranda cæcitas, in rebus vſque adeò claris, tanta libertate, & quidem publicis Decretis, exerrare. Nec dubito, quin detumeſcentibus ſenſim odijs, & ſummotis affectibus, quaſi diſcuſſa nube, damnaturi ſint & ipſi fabularum architecti, tantam Decreti falſitatem, qua ſibimet viam fidei in rebus cæteris faciendæ, præcluſerunt.

Ibidem.

Tertio. Etſi vel hoſti maledicere infra animi mei magnitudinem exiſtimem, dicendum tamen quod res eſt: Pura puta falſitas eſt, quòd *Templa in Zebeleb & Leſzenic itidem violenter Euangelicis eripuerim.* Nam nec mei hi pagi ſunt, nec quidquam ijs locis de Templis à me diſpoſitum. Idque Incolarum ac vicinorum omnium Iurato teſtimonio docebo. Et erit quiſpiam adeò tardus, vt Articulis Betlenianis, calumniam de rebus à communi noti-

tia remotis,

Digitized by Google

tia remotis, Clero intentantibus, credendum cenſeat, poſtquam fidem in rebus notiſſimis decoxerint?

Quarto. Falſis & illud accenſendum, *me Templa in Eólued, Vduard, Martos, Szakallos, Mocs, violenter ademiſſe.* Nam ſi veræ ſunt Officialium informationes, loca illa, ſæpius à Turcis vaſtata, in ipſis Turcarum faucibus ſita, non Templa, ſed rudera ac parietinas Templorum habent. Sed antequàm vlterius pergo, ſciſcitari lubet, quid Principi Betlen fiet, qui Poſonij, Tirnauiæ, innumeriſq; alijs locis, Templa noſtra ademit, ſi tam ſeuera Proſcriptione, conficta Templorum occupatio, in me plectitur? Ibidem.

Quinto. Fictum & illud, calumnioſum, ac manifeſtè falſum eſt, *Diuerſis practicis in Archiepiſcopatum Strigonienſem euectum me fuiſſe.* Superſunt hodie, & hic Viennæ præſentes ſunt, viri maximi, arcanorum conſiliorum Matthiæ ſecundi fœlicis memoriæ cōſcij: Ad eos prouoco, qui pro ſua æquitate, palam teſtabuntur, nullam vnquam vel exiguā practicam à me contextā fuiſſe; nullā nec verbo, nec ſcripto poſtulationem exhibuiſſe, qua Archiepiſcopatum ambirem: ſed cum nihil minus quàm de Archiepiſcopatu cogitarem, literis Imperatoris optimi, Pragam euocatus, priuſquàm illuc pertingerem, reſoluta omnia deprehendi: nec in Aula ſolùm, ſed & alibi publicatum, me ad Archiepiſcopatum delectum eſſe. Egò ſanè poſt exantlatos innumeros labores, cùm in ſcribendo, ac concionando, tùm in negotijs tractandis, ſecunda integritatis ac eruditionis fama, nullos vnquam honores, nullam à Deo præſentis vitæ mercedem expetij. Quòd ſi Deo ita viſum, vt antiqua in me ſuæ clementiæ documenta ederet, *ſuſcitareq; de terra inopem & de ſtercore erigeret pauperem*, id grata animi ſubmiſſione recoli à me debet. ô ſi animus mihi eſſet renudare quibus artibus Betlen Principatum adijt! ſed premo adhuc: ſi vrſerint promam.

Arti. 24. Nouizolienſi.

Digitized by Google

Sextò. Ne iteremus quæ communiter, cum cæteris Eccleſiaſticis, falsò mihi quoque obiecta, paulò ſuperius repreſſimus. Næniæ ſunt, & fabellæ, *Me ſpreuiſſe Illuſtrium & antiquarum familiarum heroes.* Niſi nominetur, quem Heroum Illuſtrium, qua in re, quo loco, occaſione, modo, quibus præſentibus ſpreuerim, pſeudologijs & hoc annumerandum, nemo ſapiens negauerit. Magis ciuiliter à me Heroes tractantur, quàm ab eo, cui inter conditiones Regnandi præſcribendum fuit, *vt Status & Ordines Regni, honeſtè, & pro dignitate tractet.* Nempe, malis moribus, bonę legi, occaſionem præbentibus.

Ibidem.

Condit. Betleno oblata.

Eod. Art. 24.

Septimò. Vanum & illud, ac vndequaque falſum. *Me malum Patriæ ciuem, ſcriptis, verbis, factis, publicè, manifeſtè oſtendiſſe.* Si tam publica, tã manifeſta ſunt ſcripta, verba, facta huiuſcemodi, cur non edunt, quæ ſcripta? quæ verba? quę facta ſint illa? Calumniantiũ eſt, ac vanè obloquentiũ, ſic generatim accuſare. Scripſi ego complura, ſed pro Religione Catholica, contra Nouitias errorum Sectas: Si ſcriptis ac verbis Catholicam Religionem propugnaſſe & propagaſſe, errores repreſſiſſe, & euertiſſe, falſitatem confutaſſe, & confudiſſe vitium eſt; erraui, pœnam commerui. Præter hæc, niſi edatur quid ſcripſi, quid dixi, quid egi, quo malum patriæ ciuem me conſtitui, vanum eſt, fictum eſt, calumnioſum eſt, quidquid profertur.

Eod. Art. 24.

Octauò. Artificium crebrò nimis vſurpatum eſt hodie, vt quæ tumet ipſe feceris, id in alterum tranſcribas. Id mecum actitat Betlenius dum, *Motuum Regni præſentium cauſam, authorem, occaſionem* me facit. Quid mirum ſi Caluiniſtæ ſuarum perduellionum me authorem faciunt, cùm Caluinus *eorum quæ Satan, ac ſceleſti latrones perpetrant,* ac nominatim *fœdarum cupiditatum,* Deum AVTHOREM conſtituat? Si dictis fidem facere vellet Betlen, indicare deberet, quo facto? quo dicto? quo conſilio? quo conatu? quibus

Caluin. lib. 1. Inſtit. cap. 18, n. 1, 2

Digitized by Google

quibus modis ac medijs, turbarum ego author fuerim? Fortè an Ego Betlenium ad inuadendam Vngariam prouocaui? Ego Thelegdum vſque Caſſouiâ obuium iui? vt accelerarer ſollicitaui? Ego ſub ſpecie deducendorum Iuuenum, Heidelbergam perrexi, ibi cum Palatino Rheni proditionis telam texui? Ego cum Bohemis, rebellionum internuncius Pragæ tranſegi? Ego aſſenſum Turcicum, & * Aſſecuratorias à Porta reportaui? Ego Caſſouiam inuaſi? Generalem compedibus vinxi? Sacerdotes mactaui? ſurſum deorſum omnia miſcui? ô fabulæ! Æquidem ſic exiſtimo; bonum patriæque amantem ciuem, publicæ potius dignitati, quàm priuatæ ſtudere debere. Proinde, ſi in publicũ id commodum cederet, ad me potius opinionem culpæ alicuius, quàm in Vngaricam gentem vniuerſam Rebellionis deteſtandum crimen recidere, malim. Cæterum cum nullæ tegetes, nulla ſagmata, obuelare publici facinoris infamiam poſſint, repetenda mihi veniunt magni Prophetæ verba ſuperius memorata. Non ego turbaui patriam, Princeps Betlen, ſed tu, & domus patris tui.

* Mentio huius in Articulis Caſſouienſibus Anni 1619.

Sed demus aliquid me peccaſſe: dictis, factiſue offendiſſe: Ideone rebellioni ac motibus Patriæ cauſam dedi? quæ iſta ratio, quod conſilium eſt? Archiepiſcopus dictis factiſue aliquem læſit, Ergò Templa profanemus, Prælaturas omnes euertamus, Clerum vniuerſum opprimamus, Sacerdotes mactemus, Homagium Regi debitum violemus, Regem nouum eligamus, Iura omnia Regni euertamus? Si hæc ratiocinatio eſt, neſcio quid ſit phreneſi laborantium deliratio. Si vel ego, vel quiſpiam alius offendimus, Iura ſunt, Leges ſunt, Magiſtratus ſunt competentes, coram his conueniri debuimus, more ac lege maiorum emendandæ, ac ſarciendæ offenſionis ergò.

Digitized by Google

Ibidem. Nono. Figmentum eſt, & illud vaniſſimum, *facto in Vngaria motu, malorum conſcientia me territum, è Regno profugiſſe.* Quod ipſum alibi, generatim de omnibus quicunque

Poſon. Artic. 24. ſecuritati propriæ conſulentes, rebellionum tempeſtaſtem declinarant, affirmari video. Verùm id totum, abeſt à verò longiſſimè. Nam tametſi coram Deo peccatorem me maximum & agnoſco & fateor, Deus tamen ipſe, qui ſolus conſcientiarum teſtis eſt & arbiter, nouit, nullius me aduerſus patriam perpetrati delicti conſcium eſſe. Temerè igitur, & inconſultè, de conſcientia mea iudicauit Betlen, dum eius terroribus actum profugiſſe dixit. Sed nec profugi, verùm ad Regis legitimi præſentiam veni. Qui malefactorum conſcientia fugam capeſſunt, procul à ſupremi Magiſtratus tribunali ſeſe proripiunt.

Cum autem nemo conſiliorum actionumq; mearum rationes certius habeat exploratas, quàm met ego, en apertè & ſyncerè abſceſſus mei cauſas promo. Verebar, ne ita indignè à rebellibus tractarer, vt in Vngaria ſuperiori & Epiſcopos, & Sacerdotes habitos intelligebam. Nec arbitrabar, ad officij mei rationes pertinere, aut prudentiæ leges exigere, vt abſque vllo fructu Religionis, ac boni publici, periculis memet objectarem. Verebar, ne ſine vllo vſu publico, eodem quo Magnificus Andreas Doczi modo, compedibus, catenisq; nullo meo merito, ſolo furore alieno, manciparer. Verebar denique, ne ſi in poteſtatem Betleni me proijcerem, & conniuère, & aſſentiri cogerer ijs rebus, quas ſalua Fidelitate Deo ac Regi debita, approbare nec poteram nec debebam. Iam tunc enim animo præuertebam Confœderationes, Vniones, Electiones, Cleri euerſiones, & ſexcenta ſimilia furoris Caluiniſtici dedecora. His adeſſe, hæc approbare, ſi manerem, vel certa morte occumbere, neceſſe erat. Itaque malui exemplum ac documentum Chriſti ſequi; ad tempus cedere

dere

Digitized by Google

dere furori, eo me conferre, vbi & Patriæ recuperationi & Religioni, vtiliorem operam locare poſſe exiſtimabam. Nec dubito quin hæ ipſæ rationes, ad eadem conſilia ſequenda pertraxerint omnes, qui ſeſe nouis, ac Deo & Regi contrarijs confœderationibus attaminare noluerunt.

Decimo. Fictum & illud, ac omnino calumnioſum eſt. *Me in perniciem Regni Vngariæ omni intentione intendere. Idque ex literis ad Comitem Homonnanum datis, & interceptis, euidentiſſimè conſtare.* Initio concitatæ rebellionis, turbones Patriæ vulgarant, interceptas eſſe literas plurimorum, quibus practicæ, ſeu machinationes admirandæ, ſæuæ, pernicioſæ, exitiabiles, renudabantur. Has literas primis Comitijs publicè recitandas promittebant vt ex ijs conſtaret, graues ac vrgentes præſentium motuum cauſas fuiſſe. Sua ſponte mendacium euanuit, nullæ literæ momentum aliquod habentes productæ. Nam proditionis nefariæ architecti, initio rebellionis flagitioſa manus ac ſigilli imitatione, literas nomine Comitis Homonnani, ac aliorum conſcriptas, ita hinc inde miſſitarint, vt intercipi ab Acatholicis fraudis ignaris poſſent, cautiori tamen conſilio, vulgari eas poſtea noluerunt, ne fraus ac dolus à quibuſdam deprehenſus palam agnoſceretur. Ego certè conſcientiam teſtem habeo, nihil vnquam in Vngariæ perniciem vel agendo vel ſcribendo perpetratum à me fuiſſe. Si furori paucorum rebellionis authorum obſiſtere, ſi à Iugo Betlenij chariſſimam Patriam, pro viribus ereptum ire, ſi legitimi Regis dignitatem ſartam tectam tueri, ſi Religionem Catholicam ac Clerum priſtinæ conditioni reſtituere, ſi vim Injuſtam iuſta defenſione auertere velle, aliud non ſit Betleniticis nomenclatoribus, quàm Patriæ perniciem machinari, fateor toto affectu, toto conatu, totis viribus huc me incubuiſſe. Ibidem.

Comitem

Digitized by Google

Comitem Homonnanum, ęterna memoria digniſſimum Heroem, licet ſtimulis non egeret, monere, hortari, rogare per literas non deſtiti, vt ereptam Patriæ libertatem aſſertum iret; noxios Betlenij conatus retardaret; vim iniuſtam & rapinam Regni, iuſta defenſione propulſaret. Hæc me ſcripſiſſe, non diffiteor; quæ non exitium ac perniciem Patriæ, ſed in eius vndequaque oppreſſæ libertatem ſpectare, ſeriò & ex animi ſententia pronuncio. Iſta vnica eſt, interceptarum literarum materia. Et licet nullas intercepiſſent Betleniſtæ literas, cogitare per ſe poterant, nec me, nec vllum Vngarum, qui Deo, ac Regi fidem illibatam ſeruarit, huic tam neceſſario, tam ſalutari officio deeſſe potuiſſe. Atque ex his conſtare arbitror, quàm iniuſta, quàm Tyrannicâ ſententiâ, à Betlenio damnati, ſpoliati, proſcripti ſimus.

Ad te iam æterne Mundi Sator & Redemptor ſtylum
Iſai. 25. animumque verto. *Domine, Deus meus es tu, exaltabo te, &*
v. 1. & 4. *confitebor nomini tuo, quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione ſua, ſpes à turbine; vmbraculum ab æſtu: Spiritus enim robuſtorum, quaſi turbo impellens parietem. Tumultum alienorum humiliabis, & quaſi calore ſub nube torrente propaginem fortium marceſcere facies.* Et hoc augurio con-
Pſal. 108. cludo illum Dauidis Pſalmum. *Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris & os doloſi, ſuper me apertum eſt.* Chriſtiano ac pio affectu replicando.

FINIS.

VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google